
IBV

1603

- 131. -

nowo-Lacin.



EPIGRAMMATVM M. ANDREAE CALAGII VRATISLAVIEN.

Poëtæ Cæsarei & Coronati

Centuriæ Sex.



Francofurti ad Oderam

Typis Sciurinis.

Anno M. D CII.

Benevolo Lectori.

NEc præfatione magnoperè, nec dedicatione libellus iste opus erat, quòd ab annis inde triginta trib. scriptos, ordo euidéter ostendat, quodq; suo Epigramma quoduis patrono se facile tueatur. Ne tamen mori recepto decederet, paucis de consilio nostro monendum te, duximus; nullum id esse aliud, quam animum erga bonos testandi nostrum. Etsi enim bona illorum pars lucem antea viderit: maior tamen latuit hactenus, ut quorum finis fuit, priuatim tantùm oblectare. Vt vero publicè etiam prosint, sin aliter usus eorum est aliquis, sane nostris etiam sumtibus, quasi viatico, instructi, prodeant patimur. Sed usum non esse nullum, inde conijcimus, quòd, ut ne velimus ea esse posthuma, præmonemur ab amicis. Quid? quòd non ignoramus, plurima, autore ipso non disponente, vel intercidere crebrò, etiam optima, vel plagiarijs arrogari: veluti Carmen illud de Terræ motu nostrum, quidam, seu natiuo, seu assumptitio nomine dictus, Martinus Schwartzbach Lauben. suum fecit atq; annus ab hinc tredecim, cùm Dn. FRIDERICO à ZEDLITZ &c. Rom. Cæs. Majest. Cameræ in Silesia à Consilijs dedicassemus nos; ille Illustri Dn. Martino ab Hohenstein Comiti, & Equitum ordinis Teutonici Magistro, furtim nuncupatum, hic Francofurti ad verbum, typis reddidit. Idem cùm metuamus de cæteris nostris lucubrationibus, ut ut exilibus; tametsi majore quoq; sui parte priùs, at singillatim, extantibus, ut vel

hac



hac æstate conjunctim etiam, in libellos distributæ, prodeant, operam sedulò dabimus. Sunt certè in promptu Elegiarum libelli sex, vel septem: Sunt Heroicorum octo, præter Bibliden, minore forma nuper editam: Sunt & in primum Horatij parodiarum duo. Eruntq; facilè plures, uti horum, ita illorum, taceo (ne quid nimis) alibi nominatorum Operum: modò nobis, Deo clementer annuente, vitæ usura longior, & quod captamus, contingat ocium. Id qui non inuidet nobis, quantum in ipso est, præstet, næ ille operam collocauerit optimè, sempiternã nominis sui celebrationem meriturus. Quòd si animum beneficiorum memorem antea testificati sumus, quantum licuit vel ob labores quondam scholasticos, vel ob difficultates hactenus, in tanta temporum miserrimorum pertinacia, domesticas: testificari profectò deinceps, omnes vires intendendo, conabimur. Sin omninò, nolentes volentes, scholasticis reposcimur pulueribus, quos fugere visi sumus hoc decennio, ut DEO retrahenti pareamus, necesse erit. Ac tum fiet facilè, ut Helicone deserto, h. e. studio quærendi humanã gratiam penitus abiecto, diuinæ magis desiderandæ, simus, serò demum sapiendo, flagraturi. Vale. Francofurti ad Oderam, Anno 1602. XV. Iunij, stylo nouo.

Autor.

M. ANDREAE CALAGII VRATISLAVIENSIS

LIBER I.

PATRIAE, LVE INFECTAE,

Anno Christi M.D.LXVIII. Augusti III.



Ere pestifero dum Sirius incubat ardor,
Et sine lege hominum dat genus omne neci:
Parsq́ manet, numerum morientum aucturá, salutem
Pars certam sequitur maxima, fraude fugæ:
Iussus ego, & dubius, quænam fortuna relictæ,
Te fugio, haud lethi, PATRIA chara, metu.
Non etenim horrerem tibi dulcem impendere vitam,
Numine si Divûm res ita forte ferat.
Ergo vale: tamen ingrediar quòcunq;, precabor,
Vt gravis offensi transeat ira DEI.

VVITEBERGAE.

HVc aduerto pedem, patrijs vagus exul ab oris,
Non scelere, aut furto, sed stimulante lue.
Ne metuar, superant morbi sine tabe parentes,
Ipsaq́ cum gemina salua sorore domus.
Adde, quòd ingenio, minùs infelicibus apto
Litibus, Aonidum mitia sacra sequar.
Cur igitur non sponte meos miserata labores,
Hospitio pateas, vrbs prior Orbe mibi?

Lectori

Lectori.

Clara petita mihi est ACADEMIA, tres ubi vitæ
Complêram æstates, & tria lustra meæ.
Vnde juuentutis consultò habet acta libelli
Pars prior, haud vllo perpolienda modo.
Quando vltra nonum pressus jam longiùs annum,
Non graue, censuræ succubuisse, foret.
More Poëtarum, sint hæc præludia remisso,
At limata suo posteriora stylo.

In Laurum.
M. IOHANNI POHVNEC, Bregensi.

Non tantùm meritas clarorum fortibus ausis
Victorum decorant laurea serta comas:
Laurum etiam ingenio, simul & virtute merentur,
Quos juuat innuptæ Palladis arma sequi.
Ergo vocaris ei quicunq;, fac alite passu
Huc ades, huc cœpti dirige vela tui.
Et cape tela celer, quæ porrigit, atq; per hostem
Qua via cunq; datur, viq; manuq; rue.
Quæ sint arma, rogas? calami, thecæq;, libriq;:
Illos sæpè mouens, armiger acer eris.
Hostis, quem bello superes, est tristis egestas,
Hanc senior si vis vincere, vince puer.
Quoq; tibi victum quæras grandæuus, idipsum
Disce, virens ætas donec & hora sinit.

Pompa triumphalis.

Ebrius, & clamans bacchantum more, ferebat
Vatib. aduersum Mopsus ab urbe pedem.
Res, ipsis toleranda minùs, pro tempore suasit
Ludere qua madidum calliditate virum.
Nec mora, primus eum dictis adoritur amaris,
Nil & opinantem tale, supinat humi.
Dissectis cultro ligulis simul alter acuto,
Quantumcunq; potest, folliculare trahit.
Tertius arreptas dextra læuaq́; vicissim
Ingerit acclamans ingeminansq́; niues.
Posteà certatim nudas circum agmine facto,
Verberib. manuum diminuêre nates.
Ipse jacens, modò calce, manu modò pugnat: ijsq́;
Dilapsis, fremitu murmuris ursus, abit.

In amorem Filiorum erga Parentes.

M. LAVRENTIO AVFMPFERD, Hamburg. hospiti suo.

Sit quicunq; velit, primùm cui tincta parentis,
Prob scelus, immaduit dextra cruore sui:
Horridior fuit ille fera, pejorq́; cuculo,
Viscera qui rostro matris hiante vorat.
Candida sic non est ingrata parentibus ales,
Sed pressos æui pondere fert ad aquas.

Quisquis

Quisquis es, exemplum volucris sectate; parentes
Aduenerare, modo quo decet usq; tuos.
Vnde, velut promissa sonant cælestia, grato
Longior in terris vita parata tibi est.

EPITAPHIVM FILIOLI ejusdem.

Condidit exigua genitor LAVRENTIVS urna,
Mole sub hac nati membra pusilla sui.
Qui Lunæ vixdum geminos compleuerat orbes,
Cùm vacua staret Parca sinistra colo:
Inde patris mens ægra dolet: quia paruulus infans,
Et quia progenies mascula prima fuit.
Ex qua, si victura foret, visuraq; lumen,
Spem minime dubiam cepit uterq; parens.
Qui memor, & sobolis geminato victus amore,
Erexit proprijs sumptibus istud opus.

Ex Lælio Ciceronis.

HIERONYMO MVGENHOFER Noriberg. commensali.

Circumfer quacunq; velis tua lumina parte,
Sponte tuo lateri proximus hæret amor.
Verus amor quocunq; loco non pellitur: haud est
Intempestiuus siue molestus, amor.
Non ergo tantum flammis (ut fertur) & aura
Vtimur, ac riuo limpidioris aquæ:

In vita quantùm iuuat indulgere tenori
Semper amicitiæ, certaq; vincla sequi.

IOHANNI DOMINICO, Equiti Silesio.

INnuis, arrisisse tibi mea scripta, monesq́;,
Ne studium hoc adimant ocia pigra mihi.
Ne dubita, mihi sacra placent cœlestia semper,
Et volupe est, numeris nectere verba suis.
Vita priùs corpus fugiet, quàm carminis ingens
Scribendi nostro pectore cedet amor.
Vnicus hic duri solamen temporis, unus
Hic minuit vitæ tristia quæq; meæ.
Vnicus hic suadet, stolidum contemnere vulgus,
Ac virtute meum ferre sub astra caput.
Namq; mihi curæ semper fuit, estq́;, relictis
Insanis opibus, nominis unus honor.
Sublimem me fama vehat liberrima vatem:
Quærat avarus opes, dum modò reptet humi.
Nostraq; pervolitent varias præconia gentes,
Dum nummis humili palleat arca Midæ.

In Pauli Gunski Vratisl. natalem.

PAuli luce data, scis quid cupiamus Amici!
Tu patrium morem tollere, Paule, caue.
Inter solennes epulas cantabimus omnes,
Sæpè tibi redeat candidus iste dies.

Ex I offic. Cicer.

Alberto Spatz, Noriberg.

SI quibus imperij contingunt fræna, Platonis
Hæc præcepta sibi summa tenenda putent.
Neglectis proprijs ut Ciues semper, & horum
Seruent atq; iuuent commoda; quicquid agant.
Vtq; sub ipsorum cura Respublica tota
Floreat, & poßit pacis honore frui.
Ne dum pars ejus solùm viget una Regentum
Præsidio, reliquæ sint in honore minus.

In 1. Caput Iosuæ.

M. Alberto Ilindero Regiomont. Borusso.

FElix, qui Domini iussu consurgit in arma,
Hostibus obiectans fortia signa suis.
Namq; coërcebit magna virtute subactos,
Atq; triumphatis sub pede colla premet.
Cæsorum spolijs grauis exultabit, & hosti
Rapta manu, figet sacra trophæa DEO.
Talis Nunides pugnæ fortißima præbens
Pectora, multorum contudit arma Ducum.
„ Quisquis es, ô Princeps, aduersis hostibus offers
Qui caput, & satagis vincere, vince DEO.

In Ranas Ouidij.

Sebastiano Meyer Suobacensi.

PInguius ingenium, moresq; Poeta proteruos
Denotat Agrestum significante typo.

Sæpè viatorem miserum qui limine duro
Orantem prohibent, & stipis æra negant.
Vix ut ab implacidis communem fluminis haustum
Impetret aduemens Iuppiter ipse polo.
Illorum quoniam est talis natura, rogati
Vt magis inflentur, despiciantq; preces.
In ranas igitur versi, finguntur amaro
Nunc sub aqua sub aqua dicere probra sono,
Sicut enim putri gaudentes cespite ranæ,
Saltibus exercent stagna profunda suis:
Sic juuat Agrestes ad buxa canora rotari,
Crudaq; conectis bella mouere scyphis.
Hos, nisi cauponas habitent, versentur & inter
Vrceolos, quis non credat hiare siti?

Officia Adolescentum ex I. Offic. libro.

Iohanni Cerasino Transyluano.

Conuenit, & par est, ut primi temporis ætas
Ora verendorum seruet honore Senum.
E quibus excerpat primos sibi, fidere quorum
Non tam consilio, quàm grauitate queat.
Namq; juuentutis si qua ignorantia restat,
Iudicio solùm discutienda Senum est.
Præcipuè verò primæui corporis annis
Illecebrarum ingens est adimendus amor.
Inq; subignauis vrgendus sæpè, vigore
Corporis atq; animi sufficiente, labor.

Seruiat

Seruiat illorum ne tantùm industria paci,
Sed quoq; militiæ forte gubernet opus.
Quin ubi defessos animos, ubi membra relaxant,
Ingluuiem exosi, signa pudoris ament.
Quæ meliùs fient, studijs erit omnibus illis
Turba senescentum si sociata virûm.

EX 1. HESIODI.

ἔργων ϗ ἡμερῶν.

Ioachimo Hofmanno Vratisl.

Vicini invidia vicinus flagrat, aceruo
Quando laborantis crescere cernit opes.
Ac figulo figulus, fabro faber inuidet: odit
Mendicus solitum voce rogare cibos.
Tu quoq;, cui dictant iuuenilia carmina Musæ,
Profer, an haud carpas æmulus arte parem?

Natali die Pauli Clementis Vratisl.

Pauli oriente die, te Paule monemus Amici,
Vt memor ornandi nominis esse velis.
Ergo indulturis Genio, de more vetusto,
Et cœnam & festum fac geniale pares.

Nicolao Rhedingero, Patricio Vratisl. primario.

Temporis angusti ratio, febrisq; maligna,
Quæ mea, quæ socij pascitur ossa mei:
Suadet opem implorare tuam, post Numina primam,
Cùm speranda mihi non aliunde salus.

Ergo

Ergo facultatum cùm non tibi copia desit,
Longiùs afflictum durus egere caue.

In implicantem sese importuno matrimonio.

QVid, Iuuenis vesane, facis? Submittis iniquo
Libera sicne thori jam tua colla jugo?
Coniugium res dulcis, ais. Non improbo factum,
Dummodò legitimum sit, licitumq; tibi.
Addideras equidem patri, matriq;, mihiq;
Spem benè virtutum mentis amantis opes,
At tria transgressus quinquennia, fœdus inibis
Cum tibi cognata connubiale, puer.
Forsan & illa dies erit, ut malè conscius ausi,
Coniuge deserta miles in arma ruas.

In Meretricum sectatores, problema Alciati.

M. Erasmo Heugelio contubernali.

CErnis, ut in solio subnixa recumbat, amore
Dementare suo fœmina docta viros.
Quam circùm, diuersa cubant portenta ferarum,
Ex homine in facies carmine versa nouas.
Scilicet in mores abeunt plerunq; feroces,
Cura meretrices est quibus una sequi.
Ille libidinibus resolutus, transit in hircum,
Ille voluptatum seruus, in ora suis.

Hic

Hic furijs ardens, communia multa leoni,
Iste lupo rabido, sanguine lætus, habet.
Inuidus & mordax alius, canis induit artus,
Vrsi alius tumido murmur ab ore ciet.
Prætereà & si quæ brutorum nomina restant,
Cuncta subobscœnis congrua dico viris.
Quisquis es, in numero nomen profiterier isto
Qui fugis, ô longè sis ab amore lupæ.
Illa tibi mentem, mentem rapit illa: bonisq;
Omnibus exutum priuat honore simul.
Priuat amicorum studijs, ipsaq; salute,
Et vacuum tandem cogit abire forâs.

Epitaphium Esaiæ VVisneri Vratisl. submersi in traiectu Albis Anno 71. April. 29.

Hæc stantis tumuli transis qui busta, viator,
Carmina lecturus paucula, siste pedem.
Siste pedem, cineriq; faue, qui tectus arenis
Fortè peregrinis, munera summa capit.
ESAIAE condit VVISNERI membra sepulcrum,
Cui natalis humus BRESLA beata fuit.
Ille sacris studijs imbutus & arte, Lyceum
Venit in excellens LIPSIA clara, tuum.
Vixit ubi geminos exactis mensibus annos,
Imponens Musis ocia tuta suis.
Inde recedentem gremio VVITEberga recepit,
Atq; aluit, caderet dum quater horna Ceres.

Intereà

Intereà cupiens ALBIM transmittere puppe;
Occidit, illusæ vortice sorptus aquæ.
Cumq; foret fato dignus meliore, profundam
Accessit socijs ad Styga, quinq; comes.
Namq; suam studijs mentem formârat honestis,
Et poterat trepidis utilis esse reis.
Illius dictis inerat facundia, mira
Gratia, & assiduus, sed sine felle, jocus:
Roboris innati membrorum mole vigebat,
Hectoreiq; fere corporis instar erat.
Vnde etiam MAGNI, tota notissimus urbe,
Elysios inter, nomine clarus erat.
Iamq; suæ Patriæ cùm spem fecisset, iniquis
Succubuit fatis proh dolor, ante diem.
Ergo jacet subita consumptus morte, suorum
Luctus, & extimulans anxia corda dolor.

VVitebergæ valedicit,
Anno 72. XIII. Ian.

Vnde mali labes mihi prima, quòd hospes ad Albim
Sedulus, ad patriæ tecta repentè vocor?
Iamne venenatæ (nimium quod suspicor) eheu
Inuidiæ stimulis criminibusq; petor?
Labe equidem vaco. Christe, tibi modò, ad acre tribu-
Pauca reuersuro metra, typisq; dedi. (nal
Ah puero si tanta, decus famamq; sequenti;
Inuidiæ rabies quanta timenda viro?
Ominor,: ipsius longissimus urgeat ordo,
Vix tamen is tanti, quòd latitare velim.

Immò lacessentem prior ipse lacesso; proteruæ
Bella paraturus, dum mihi vita super.

RESPVB.

Martino VVeindrich, Sodali.

Felix, ô felix Respublica terq́ quaterq́,
Tristia quæ pacis tempore bella timet.
Infelix contrà Respublica dicitur illa,
Tempore quæ pacis bella cruenta fouet.

IN MORTEM.

Friderico Scholtz, Civi suo.

Hora voluptatis summæ est mors ditibus omnis,
Afflictis autem meta modusq́ mali.

Natali die Pauli Crapidel Vratisl.

Paule, die Pauli non infeliciter orta,
Nominis ô memorem te decet esse tui.
Poscimus idcirco vinctum de more, Sodales,
Te natalicias, annua festa dapes.

In hederam Alciati.

Erasmo Köslero, Borusso, VViteberga iterum discessurus. Anno 73. Febr. VI.

Flexibiles hederæ dempto ceu fine virescunt:
Fama Poetarum sic diuturna viget.
Vt tamen hæ nequeunt se vertice tollere ad auras
Æthereas, fulcri quando leuamen abest:

Sic

,, Sic etiam adſpirant incaſſum ad magna Poëtæ,
Quando patronorum deſtituuntur ope.

In Emblema Sambuci:
Quot capita, tot ſenſus.
Georgio Fabro Vratisl.

PArce, precor, ridere alium, qui plurimus uni
Præ multis ſtudio deditus eſſe ſolet.
Sic quemvis ſua fata trahunt: ſequimurq; tenaces
Inſita naturæ ſemina quisq; ſuæ.
Me quoq; delectat, tibi ſors inuiſa, Poëſis,
Quæq; tibi volupe eſt res, mihi grata minùs.

In Aliud:
Duce Fortuna.
Philippo Ruhelio Francofurt.

ME quamuis cæcæ grauis inclementia Diuæ
Mergere dicatur pene ſub ima Stygis.
Ditis in electu quòd capſæ, & pauperis, iſtam
Cæcus & ignarus corripuiſſe putor.
Nil tamen eſt fortuna mihi, nil Stoica fata:
Nititur in ſolo ſpes mea fixa DEO.
Qui preſſum merſumq; luto ad majora leuabit,
Quando voluntatis venerit hora ſuæ.

M. Iohanni Kölbel Auſtriaco.
Anno eod. Iulij XXIII.

TErtium ab ALBenti jamjamq; CALAGIVS urbe
Iſta profecturus ſigna relinquo mei.

Procopio

Procopio Eichel Vratisl.

Cùm tentanda mihi fuga tertia, & vltima forsan,
Omnis amicorum turba relicta vale.

Commensalibus.

Anno eodem, XXVII. Octob.

Ecce mei quartò, patria tellure reuersus,
Reddor inoblitis, oraq; nota fero.
Quæritis, hácne diu sim cunctaturus in vrbe?
Effugij ah mensis sextus, opinor, erit.

Iisdem.

Anno 74. Martij VIII.

Vix, ah vix vobis ceptâram ferre salutem,
Cùm subitò cogor dicere triste vale.
Casibus ô quisquam est vnquam peioribus actus?
Contra fata miser nectere quæro moras.
Sed cedo dubius, quas dilapsurus in oras,
Fas sit vbi errantem sustinuisse gradum.
In Patria vix spero locum: Restabit egenti
SARmatia, aut tellus barbara si qua propè est.

Polonis Nobilibus, VVierusouiæ.

Anni eiusdem April. III.

Ipse docendus adhuc, venio docturus, Amici,
Et quasi ducturus corda tenella manu.
Ergo iuuentutem vestram submittere curæ
Ac fidei, longùm ne dubitate, meæ,
Quod forsan natura mihi negat inuida, solers
Id labor, id studium reddere molle potest.

Iohanni Kierſinski, adoleſcenti Nobili.

Innumeros fœcunda creat GERMANIA vates:
Omnibus attribui par honor vnde nequit.
Terra IAGELLONVM eſt illis minùs æqua ferendis,
Atq; ideò, ſi quem forſan adepta, fouet.
IANITIVM complexa ſuum eſt, cœloq́; locaſſet
Euinctum lauri tempora prima comis:
Inuidit fortuna bonum, iuuenisq́; futuri
LÆCHIADVM lumen, rupit iniqua dies,
Quos illi demptos, ab primo in limine vitæ,
Fatales glomerent ad tua penſa deæ.
Verſibus idcircò & titulis clareſce, IOHANNES,
Dummodò diſcipulum te fateare meum.

Feſto diui Martini Epiſcopi.

Triplice Martini celebratur munere Feſtum,
Anſere pinguidulo, cornibus, atq; mero.

Effigies Martini Heluigij, F.

HELVIGII ſuprema patris poſt fata, ſuperſtes
Progenies natu maxima, talis erat.

Effigies Iacobi Scholij.

Bis denos SCHOLIVS ſeptemq́; peregerat annos,
Frontis & hac forma conſpiciendus erat.

Ex Horatij Oda Lib. 2.

Sæpiùs à ventis agitatur fortibus ingens

Pinus,

Pinus, & excelsæ turres grauiore ruina
Procumbunt, feriuntq; Iouis uaga fulmina montes.

Aliter.

Sæpe notis agitata tremit Cybeleïa pinus,
Et celsæ grauiore cadunt cum pondere turres,
Præruptosq; iugis iaculantur fulmina colles.

Aliter.

Aerias pinus quatiunt cum turribus Austri,
Et rigidos montes tela trisulca petunt.

Aliter.

Sæpè ventorum furijs mouetur
Pinus, & magno sonitu labascunt
Arduæ turres, trepidantq; summi
Fulmine montes.

Aliud.

Si tibi nunc fortuna minùs fauet æqua, futuram
Assiduè in tali ne tibi finge statu.
Suscitat interdum cithara resonante tacentem
Musam, nec neruos semper Apollo trahit.

In Opolinski, Illustris per Poloniam familiæ, insignia.

Magna procellosis ceu nauis fluctibus obstat;
Atq; necaturis altior extat aquis.
Sic huius Generis series illustris, in acri
Gente Polonorum stemmate prima viget.

Primi AEneidos Argumentum.

LOngo odio Troum flagrans Saturnia Iuno,
Æneæ classem Sicula tellure solutam
Cum socijs, volucrum immisso certamine fratrum
Hippotadæ auxilijs, turbata per æquora spargit.
Æneas verò Libycas eiectus ad oras,
Membra refecturus sociorum exhausta, locosq́;
Exploraturus, solo comitatus Achate
Exit, & ignorans multis cum matre loquutus,
Nube caua tegitur, Tyriamq́; ascendit in vrbem:
Hospes vbi cœco captæ Didonis amore,
Troiani narrare parat discrimina belli.

Amico.

QVid iuuat ingenuas caput erexisse per artes,
Cùm sit virtuti rarus in Orbe locus?
Alget in æternum, Musarum castra sequutus;
Floret, adulandi qui benè nouit iter.
Blanditias mollesq́; preces tentare recuses,
Si vel in extremos sis remouendus agros.

Eidem.

HOc licet insulso docti spernantur ab æuo,
Tu tamen indignos exue corde metus.
Cumq́; sit heu rerum mirè variabilis ordo,
Crede suus doctis, crede redibit honos.
Te quoq; præclarum studijs, & sede locatum
Egregia, poterit pœnituisse nihil.
Forsan & illa aderit, charo qua spontè sodali
Non frustrà monitum te fateare, dies.

Micha.

Michaeli VVisnero, Olsnen.

Communis consolationis ergò. Anno 75.

Cùm Christus, Matris vix dum progressus ab aluo,
In Pharon è patria cesserit exul humo:
Nos etiam extorres patria tellure, ferenda
Ad mala non pauidum pectus habere, decet.
Tempus erit, quando dubijs in prospera versis,
Illius exemplo fas reuocare gradum.

Magnifico juueni,
Iohanni Tomitzki.

Poscere parua pudet: Neq; enim nunc magna rogari
Est opus: inualidus languida mẽbra traho.
Quæso parum vini, cùm Vico gutta nec vna
Insit, vt hoc hausto debile corpus alam.

In spem secuturæ vitæ.

Cùm videas, si bruma rigens se Vere remittat,
Putria grana priùs, flore virere nouo:
Cur non spem confisus alas, restare sepulto
Alterius vitæ gaudia certa tibi?

In Zacchæum Euangelicum.

IGnarus veri antè Dei Zacchæus, abundè
Iam sapit, inq; pios spontè profundit opes.

Ne quid nimis. Assentatori.

VT rerum certum esse decet finemq; modumq;:
Vtq; sequi dubium littus & alta, nocet:

Sic alium laudasse nimis, cui profuit unquam?
An quoniam muli mutua sorte scabunt?
Vnum hominem leuitatis erat præponere Genti:
Trans equidem riuum pluribus esse, datur.
Si nescis, moneo hunc superes remexue pedesue:
Mentiar, aut fueris te quoq; teste, leuis.
„ *Commendaturus quenquam palpo, esto modestus,*
Ne magè deformes, quem celebrare cupis.

Cum laruis non luctandum.

„ *Cum viuo altercare, volens animosus haberi:*
„ *Stultus honorandis manibus arma mouet.*

In Pygmalionem Vxoris suæ opificem.

Quisquis inutiliter renuens transmittere vitam,
Legitimi sociam quæris habere thori:
Fortunæ faber esto tuæ, circumspice Sponsam,
Quæ bona, quæ simplex, quæ pietatis amans.
Hanc solum modò posce Deum indefessus, & ille
Annuet optatis per pia vota tuis.
Ille thori, castæq; domus, hac coniuge, & omnes
Delicias teneræ prolis habere, dabit.
Tum, mala sunt ut mixta bonis, si quando secundis
Inciderit dubiæ sortis amara dies:
Sufficies, vel mole tua stans, fretus ut Atlas
Hercule, onus scapulis hac subeunte suis.

Chris

Christus in Horto sudans.

Quid sit peccatum, quid sit Patris ira, cruento
E sudore tuo cernere, Christe, licet.

Aliud.

Quàm scelus & Patris ira, sit intolerabile pondus,
Discimus è thrombis, Christe cruente, tuis.

Aliud.

Iratum quid habere Deum sit, quidq; reatus,
Purpureo sudans sanguine, Christe doces.

Fallacia alia aliam trudit.

M. Balthasaro Anseri, Sodali.

Siquidem passim fieri consueuit, ut astu
Circundans alios, ferre notetur idem.
Haud ideò mirere nouum, tibi si quòd inausum
Forsitan exemplum cernere tale licet.
Quin monitus meliora, tibi tu consule per te,
Noris ut in rebus prouidus esse tuis.
Ac nimis assentire caue, ne credulus, omnem
Spem præter simili decipiare modo.

Exempla Facinorosorum.

O nimium, quemcunq; mouent exempla, beatum,
Quemq; periclorum sors aliena docet.
Quando igitur sontes posci cum sanguine pœnam,
Et tolli gladio, fune, rotaq; uides:
Ipsorum exemplis, quos nil flexêre parentes,
Nil præceptores, docta Iuuenta, sape.

Ac nomen pietatis ama & virtutis honestum,
Ne fato & letho præcipitere pari.

Caussæ necis Baptistæ.

QVi caussas nouisse cupis, Baptista piusq;
Ense tyrannorum cur iugulante cadant,
Disce, scias ut inesse homini unicuiq; reatum:
Vt sanctos Christo reddat imago pares:
Vt reuocent à labe malos tormenta bonorum:
Sit minor ut vitæ fructus honore Dei:
Martyrio obsignetur & ut doctrina, piosq;
Æternùm maneant præmia, pœna reos.

Beati Oculi.

O non diuitijs, luxuq; nocente, beati:
Sed quibus est ardor, discere verba Dei.
Quippe Fides solùm vigili munita potentis
Cognitione Dei caussa salutis erit.
Non, oculis coràm Christum quæ cernit Iesum,
Sed quæ frustrantem lumina, mente notat.
Visus ut in Verbo est Patribus Deus, atq; Prophetis,
Sic etiam nobis aspiciendus, adest.

Compater clienti.

PEr charum, dilecte cliens Hubnere, parentem
Mitto tibi dono compater istud opus.
Tu studijs adhibeto tuis, linguæq; Latinæ
Ex hoc, dum puer es, propria verba pete.
Quando maior eris, pariter maiora require:
Incipere à paruis utile parue tibi.

Solidum quodq; diuturnum.

Firmum etiam est, quodcunq; bonum est: Velut aureus omnis
Durando superat secula longa calix.
Frangaturq; licet, tamen est reparabilis idem,
Artificis docti restituente manu.
At vitro, miræ quamuis nihil artis egenti,
Concussoq; semel, non sua forma redit.
Sic solida est, syncera fides: discordia verò
Ancipites animos haud coÿsse sinit.

In Adamum veterno oppressum.
Gen. 3.

Augendam speciem unus Adam generare creato
Cùm minimè generis posset in Orbe sui:
Accipit è laterum frabricatam cratibus Euam,
Carnem ex carne sua, os prorsus & osse suo.

In Adamum Euamq; labentes.
Gen. 2.

Numina, vipereo instinctu, indubitata futuri,
Præceptum violant & Vir & Eua Dei.
Heu votum ferale. Nocens mali vnius esus
Humano generi quàm mala multa tulit.

In eosdem Paradiso exclusos.
Gen. 3.

Lapsus Adam, commissa feras impunè? Relinquis
Arua Voluptatis, reÿciente Deo.

Ingrederisq́; solum, non hac ratione colendum:
I nunc, atq; bonum scire malumq́;, flagra.

Typi.

Fixurus metam temeratis cultibus, Orbi
Quid poterat maius contribuisse, Deus?
Quàm verbi lucem, quàm regna per omnia ituros,
Triptolemi ueluti semina sparsa, typos.
Digna bono hoc duplici visa es Germania, terras
Quæ famam ante alias nominis huius habes.
LEVCoris, excultrix Fidei, ARGENtina Typorum,
Quam benè cepistis, continuate viam.

In Inuidiam.

Inuidia pestis vix est funestior ulla:
Non alijs adeò, quàm nocet ipsa sibi.
Ipsa sibi cibus, ipsa suos depascitur artus,
Dum lenta pereat dilacerata fame.

Virtutis Comes Inuidia.

Virtutem comitatur honos. Sed liuor honorem.
Vt tribus his caream, non latuisse velim.

Ad Pancratium Mathonem.

Quòd non, incedens altis ceruicibus, vt tu,
Iacto, meretricis more frequente, nates.
Quòd supplex aræ, mistacem haud torqueor, vt tu,
Dum collega bonus mystica Sacra canit:
Quò placeas, si quæ vel virgo, vel orba marito
Nobilis, in vidui gestiat ire thorum.

Quòd cum discipulis non, auditoribus ut tu,
Certo glebi iactu,uictus &,arma crepo.
Quòd non, chartarum lusor, Vallensibus, ut tu,
Quattuor emungor, nocte fauente minùs.
Quòd lautas populi cœnas non aucupor,ut tu,
Atq; Theonino dente lacesso bonos.
Quòd non sermoni subrideo callidus, ut tu,
Putre nec obliquo lumen in omne latus.
Quòd non ostento frontis cirrum aulicus, ut tu,
Nec facilis crepidæ uerbere pulso solum.
Quòd non & manicis, caligisq; volantibus,ut tu,
Curtius,indusium pendeat vnde,feror.
Quòd non, poma legens,collabor frondibus,ut tu,
Ac, propè funesti, stipitis ima seco.
Quòd non: Sed quorsum perstringere singula refert?
„ Et nimium in monachum uertitur omne nigrum!
Me pressum dicis vitiorum pondere. Pressum
Inficior: Vitio sed sine, nemo fuit.
Vrgeor hoc summo,fateor, sub vulpe latentem,
Elatumq; animum quod malè ferre queo.

Michaeli VVisnero.

Pro missis viginti auibus maioribus, illa
Quæ quondam pepigi carmina, mitto tibi.
Iam pridem mandata typis, sed chare Michaël,
Hæc detenta tenus forsan amore tui.
Fortassis transmissa forent maturiùs, à te
Si mihi quis citiùs fortè tulisset aues.

Samueli Latochio.

Subſtiterit regione viæ qua Statius ingens,
Seu latrone aliquo, ſeu remorante gelu;
Ambigo. Cunctantem ſtimulis impelle, Latochi,
Sive laboranti protinus affer opem.

Fallens fallitur.

Tecum aliquid ſi fortè paras audacter agendum,
Quod fieri citra vimq́; dolumq́; nequit:
Conſilio adde moram, diſpenſaq́; antè, parentur
Ne falſuro alios deteriora tibi.
„ Cautus enim & uafer eſſe ſuis in rebus abundè
Nemo poteſt: Fallens fallitur arte pari.
„ Ac quisquam licitum eſſe, neget, quòd debeat hoſti
Quisq; reluctari quo datur usq; modo?

Bacchanalia.

Tempore quo cæcas deberet ſtringere mentes
Lapſibus humanis ira tremenda Dei:
Atq; Redemptoris, fuſo tollentis eandem
Sanguine, certatim mors meditanda foret.
Tetra repertoris docuit Satan Orgia Bacchi,
Ferret vt à veræ tramite corda viæ.
Eius enim eſt, marcere epulis uinisq́; profuſis,
Exemploq́; rapi deſipientis, opus.

Ex PSALMO 24. in Album N. N.

Te ſolum ſuſpiro, Deus: tibi fido. Quid ergo
Eſt, quòd in ærumnis ſuccubuiſſe velim?

Amico

Amico.

Scepsius ille tuus, quem nobis vesþere serò
Petre propinabas, jam malè, crede, sapit.
Ergo breui, cras fortè, bonum ne fiat acetum,
Pocula fæce tenus, mitte bibenda mihi.

Angeli minùs adorandi, Apoc. 19.

Cœtibus Angelicis non attribuamus honorem,
Quem sibi maiestas vendicat alma DEI.
Si dubius nescis, Archangelus ipse Michaël,
Stante Iohanne sibi supplice, ſpreuit eum.

Vitro Georgij Cauponis inustum.

Pistrin vt edomuit mucrone GEORGIVS: *haustu*
Sic Vitrum hoc vacuans, tu quoq; victor eris.

Sponsis.

Legitimum quicunq; thorum venabitur, eius
Nouerit Authorem ritè timere DEVM.
Is fidam, castamq; dabit dubio absq; maritam,
Curriculum felix, nec sine prole domum.

Iupiter Olor.

Matris Amycleæ gremio Saturnius, alis
Tectus olorinis, qui noua bella gerit:
Ostentantis auem clypeo fulgente, leuemq;
In Venerem proni, Principis instar habet.

Inſcriptum Munuſculo.

Accipe quæſitum luſu, caſtißima virgo,
Munus, & hoc propter,me patienter ama.

Epitaphium Prodigi.

Qui ſtrinxi ingluuie bona materna atq; paterna,
Ipſius haud Gazis inferiora Midæ:
Hic iaceo, magnæ probroſa infamia ſtirpis,
Atq; omni careo mortis honore meæ:
„ Diuitias reuerenter habe, virtutis amore
Sperne voluptates, & moriere piè.

In Vredinem.

Dum ſiccata diu ſitiunt vitio aëris arua,
Atq; homini victum denegat ægra ſeges:
Quiuq; polo pluuias vocat, arbitratus, hiulcam
Quòd caſu irriguus deſerat imber humum.
Quin ſana magè mente, DEI perpendimus iram,
Ob ſcelera æthereas impedientis aquas?

In Pluuiam Serotinam.

Ad M. Leonhardum Etzlerum.

Sicca dehiſcentes agros exuſſerat æſtas,
Quodlibet horrendam permetuente famem:
Iamq; aliquis, ſeruans ingentes farris aceruos,
Penſabat digitis anxia lucra ſuis:
Cùm DEVS admittens conſtantia vota piorum,
Feruentem in liquidas æthera ſoluit aquas.

At laqueo à tigno, spe prædæ falsus inani
Rufus Iudæus, colla supina ligat.

In Samsonem.

Vt manibus Samson laniat rabida ora Leonis,
Pòst & in his paulò mella reperta uorat:
Sic CHRISTI è tumulo gustus capiendus, & ingens
Fragrat inextinctæ caussa salutis, odor.

Pater Filio.

Cùm nil non constringat hyems, ideoq; parentem,
Vestes nate nouas me, mea cura, roges:
Promissis fac stato tuis, fac sedulus esto,
Et pius immensum fac venerare DEVM.
Sic portans bona summa, Puer tibi natus Iesus
Obtulerit librum pelliceumq; nouum.
Sic firma sensim accresces ætate, sequetur
Sic hominum pariter te fauor atq; DEI.

Da pacem Domine.

Tranquillam pacem, alme DEVS, te poscimus omnes,
Tempore quæ nostro quælibet arua colat.
Quandoquidem non ullum alium, te præter, habemus,
Pro trepidis pugnans qui magè stare queat.

Discipulo aliud agenti.

Nunc Euangelij discendi est tempus, agendi
Et scribendi aliud, posteà tempus erit.

Signa diei Nouiss.

Extrema

Extremæ cùm vera, Deus, sint signa diei,
Sectæ, bella, lues, concita terra, fames:
Regnorum tristes motus, fraus, furta, rapinæ,
Lapsa fides, odium, probra, libido, scelus:
Impietas, fastus, luxus, tormenta piorum,
Proditio, insidiæ, vulnera, claustra, neces:
Seruemur sub fine tibi, minitante ruinam
Orbe, rei noxæ ne mereamur agi.

In Tobiam peregrinantem: Saramq; toties Sponsam.

Qui duce cunq; vides tutum Raphaële Tobiam;
Quiq; legis Saram tot caruisse uiris:
Disce, quòd esse grauem pietate, sit utile vitæ:
Disce, quòd à solo detur Amica Deo.

In eosdem.

Connubium fato fieri, docet illa Tobiæ
Post septem extinctos Sara iugata viros.

In Alciati emblema: Ex arduis perpetuum nomen.

Sæpè quidem prompti molimur magna, Poëtæ,
Vt famam potiùs, quàm sitiamus opes.
Carminaq;, haud modicum patronorum instar habenti,
Credimus arboreæ pignora nostra comæ.
Sed Draco, mille licet, cuncta vno deuorat haustu,
Et concocta, tumens tetra uenena cacat.

Pythonas tu, Phœbe, truces confige sagittis,
Monstra tuo noceant ne scopulosa gregi.

Magnifico N. N.

EX auro argentoq; bibo. Cur talia nolim
Pocula, ni magno cum Ioue forte bibam?

Patientia.

Omnia quæ uinco, Patientia, rebus in arctis
Spe firmante, mihi per mala rumpo viam.

Frugalitas.

DElicias Virtus, luxumq́; , gulamq́; perosa,
Feruida frugali tempero pocla mero.

Ex VI. cap. Syrac.

SIcut inardescit lignis crescentibus ignis:
Sic & inardescit lapsibus ira DEI.

In Patriæ Ingratum.

QVisq; bonus, cuicunq; etiam, vel funere acerbo,
Impendi Patriæ, dulce piumq; putat.
Nec minimam in vita laudem simul omnis honestus,
Se natum celebri, judicat, esse loco.
At tu, cui nugis tumido præcordia, sordet
Scilicet obscurus, patria clara, locus:
Dignus eras, spurcis habuisse paludibus ortum,
Dignus eras forica, Putide, dignus, hara.
„ Felix, qui digito potuit compescere labrum,
Atq; uti calamo liberiore minùs.

Filia patrissans.

SAxo Tylus puerum docuisse cacare refertur:
Quod spectare mihi, pernego, forte datum.

Affirmo, spectare datum, ceu mejere natam
Imbuerit, magni nominis ille, pater.
Stabat is, ut madidus, madido quoq; lotia certans
Reddere, ad immundam, more canalis, haram.
Stabat & à tergo sors Filia parua, remensos
Zythum, quem biberant, obstupefacta duos.
Iamq; retrò versus compellans garrula: Vobis
Quod licuit, nunquid non mihi jus sit? ait.
Nec mora, cùm cinctu tenus illa leuasset amictum,
Hinc erat alta palus, inde retortus apex.
Vah, quam risisset, spectatrix Sponsa, fuisset
Hæc nisi parte domus interiore, patris.
„ Quàm citò praua rapit proles exempla parentum;
Quàm verò tardè, quæ meliora, capit.

AGATHOCLES,

Hieremiæ Kuntzio.

Fortunæ momenta timens, licet ardua captem;
Exiliq; feram nomen in astra loco:
Magna animum virtute tamen compesco proteruum,
Ne, si quando ruam, me viguisse querar.

In Dauidis Sporeri Anchoram.

Vt cùm diuersis venti duo partibus Orbis
Bella capessentes, incubuêre mari:
Et motum sibi quisq; rapit de sedibus imis:
Interituq; nihil certius esse patet:
Spes miseris nautis spondet suprema salutem,
Sistit ubi dubias anchora iacta rates.

Sic

Sic sola tantùm freti spe, prendimus & nos
Tuta, procellarum vim cohibente DEO.

Lectori.

Quem legis, & quem deinde leges, Epigrammata centum,
Non citra caussam, quisq; libellus habet.
Longior is iusto fortasse. Quid? Ipsemet Autor
Cunctorum volui talis ut ordo foret.
Antè quidem diuersus erat, numerusq; librorum
Maior: at arctata tutiùs ire via.
Adde, quòd haud paucis, poterant offendere multos
Quæ facilè, indendam duximus esse notam.
,, Subdola furta iuuent alios: Nos lubrica vitæ,
Nos teneri ingenij pignera sola damus.

Polonis valedicit, 10. Oct. An. 76.

Hac elementa tenus docui qui prima juventam,
Duraturus adhuc, dum grauis iret hyems.
Qui video primùm nunc, quid mihi desit, ad antè
Culta relaturus, Ver ubi, sacra pedem.
En Patriæ vocor, atq; mea vestraq;, reposcor
Spe citiùs, nolens fortè volensq;, molæ.
,, Nimirum me Sors asinum vult aspera. Sortem
O miseram nullo quæ varianda modo.
Ire peregrinas, vel Vestra ope, stabat, in oras:
Stabat item, terris multa mariq; pati.
Sors negat. Hoc nisi fortè Seris sub tempora differt,
A patrijs distent ut mea fata nihil.
Sint age, quæ Deus illa iubet. Si dura, det idem,
Omnia sedato pectore ferre queam.

M. ANDREAE CALAGII VRATISLAVIENSIS

LIBER II.

Patriæ deſideratiſſimæ reſtitutus, Anno 76. Octob. 29.

IAm tandem voti mihi, PATRIA chara, potenti,
Iam datur in gremio delituiſſe tuo:
Poſt tot & ærumnas, aduerſorumq; pauores,
Corda iuuentutis flectere voce tuæ.
Aſt ego, placatis Superis prece, præmia gratus
Quæ tibi ſat tali munere digna, feram?
Si mediter, parteſq; ſimul conuertar in omnes,
Ac memet modulo metiar ipſe meo:
Nouero, mecum habitans, artis quàm curta ſupellex,
Quamq; ſit ingenij frigida vena mei.
Quo vigeo, deuotum animum tibi ſæpè, paciſcor,
Cumq; laborifera ſedulitate fidem.

In Effigiem Imperatoris.

MAXImus AEMILIanus iter cùm mortis adiſſet,
Cæſareum excepit jure RODVLPHVS onus:
Quippe ſalutari moderamine PANNONA ſceptra,
Atq; BOHEmorum, regna paterna, tenet.
Aſpira DEVS, arte togæ ſeu conſulat Orbi:
In MAHOmetigenas ſeu ferat arma Getas.

In

In Gigantes inq; Aquilam Portæ, Arcusúe triumphalis, DIVO RVDOLPHO II. erecti Vratislauiæ, Anno 77. Menſe Mart.

Aſpicis, ut gemini flectantur utrinq; Gigantes:
Sicut adorantes CAESARIS ora ſui.
Cernis, ut expanſis Volucer Iouis increpat alis?
Dixeris Architæ ſiue Myronis, opus.
Quò nō ars penetrat? Te præſide, et auſpice, CAESAR,
Aemula ceptârint ſaxa vel ipſa loqui.

In Globum & Indicem alterius turrium ad D. MARIÆ Magdalenæ, rabie ventorum deturbatos. Anno 77. Decem. 12. noctu.

Celſa ſuſurrantis moles vi vapulat Auſtri:
Parua patrocinio ſtat caſa tuta ſuo.
Mira DEI bonitas: quòd cùm proſternere poſſet
Pondere vicinas lapſa ruina domos:
Vix aliquot lateres ſubſtrati innoxia tecti
Comminuit, caſus excipiente DEO.

Godfrido Vthman Patricio Vratisl.

Ingenioſus ut ad ſegetes cum fœnore magno,
Vt ſterilis parco ſemina reddit ager:
Sic magnis opulenta ferunt quoq; munera magni;
Sic inopes fidei pignora parua ſuæ.
Ergo locupletes, GODEFRIDE, ingentia poſce
Dona; det ANDREAS nil niſi carmen iners.

Fors aderit tempus, ſacro cùm fortior œſtro,
Tam tibi, quàm Fratri præmia magna feret.
Quando novenarum correpti ardore Sororum,
Orbis in inſignes ibitis arte Scholas.

Adamo à Reibnitz,
Equiti Sileſio.

Vrbe profecturum quendam comitatus amicum,
Pauperis & tuguri ſede receptus, heri:
Adveni (miſerum) cœleſtibus imbribus udus,
Et caligæ prorſus commaduère meæ.
Nec ſiccauit eas pernox & gratior aura,
Corporis at ſiccas nunc facit eſſe calor.
Ergo receſſurus cùm ſim, ſed feſſus eundo,
Et mox tu forſan mœnia noſtra petes:
Nobilis, & Vir docte, tuo conſidere curru,
Cum Genero HELVIGII me patiare, tuo.

Hieronymo Arconato, Leorino,
Poëtæ faceto.

Quòd cœnam dederis mihi placentem;
Quòd mecum plateas ferè per omnes
Heſterna fueris dievagatus:
Et quòd lampade præuia, domum me
Tu deduxeris ipſemet, profunda
Iam jam nocte, cadentibusq; ſtellis:
Ingentes tibi gratias ago. Sed,
O fratris velut inſtar, ARCONATE,
Quòd potu nimio meum gravàris
Infirmum caput, ut referre poſſim,
Quamprimùm ratione qua, ſtudebo,

Diſtu-

Distichon, adscriptum parieti, in quodam scholæ Reichstenens. cubiculo, Anno. 72. 15. Sept.

REichstenium veni, dulcem visurus Amicum:
Vltima quod vitæ linea penè fuit.

Ibidem.

Qui freta, qui terras, qui cœlos concutis, ô quàm
Mirus es in factis, Conditor alme, tuis.
Per te viva cadunt, per te morientia surgunt:
Quòd spiro & spero, muneris omne tui est.

De sese & Scholio.

p. 64.

Distichon id Scholius dictantis scripserat, olim
Hunc sibi fatalem nescius esse locum.
Et solem intuitus; lacrymis in vota caducis,
Ad socias ierat me rogitante, dapes.
Cùm dextra subscribo mea Tetrastichon istud,
Atq; ad amicorum prandia lætus eo.
Omni ita spe citiùs, saluum mirantur ijdem,
Et magè, quòd cupidus pocla ciboság; petô.
Assus quippe capo ventrem præpinguior intrat,
Sextantesq; meriguttur inane duo.
I nunc, ardelio, vapidas scrutare fodinas,
Et noctes, aiunt, duc vigilante mero.
Vt caveas, nimiùm iuueniliter esse proteruus,
Corporis & ratio quòd sit habenda, scias.
„ Non cuiuis tutò peccat temeraria virtus:
Crapulaq; ancipiti sæuiùs ense nocet.

In Equum, inter vias collapsum.

Cùm dominus morbo premeretur equusq́ latenti,
Præstitit hunc, illo non obeunte, mori.

Eiusdem Epitaphion.

Hoc tumulo infelicis Equi nuda ossa teguntur:
Diripuêre canes viscera, cerdo cutem.

Ipse de se Equus.

Ruricola festum geniale agitante, molossi
Quas caperent epulas, mors nisi certa mihi?

In Virginis Vratisl. picturam, MATTHAEO ERMERICO Leorino.

Quæ specie cunctas præstante SILESIDAS extant,
BRESLA puellarum nobilis una grege est.
Exuperant, fateor: nec vulgat vana per urbes
Fama, quòd hinc cælebs rarus abire queat.
At subdura bonæ coniuncta superbia formæ,
Et linguæ mens est dissona sæpè suæ.
Quid refert? non Diues opum, non Regia Virgo:
,, Coniugium felix nupta pudica facit.
Nec velit una, volent centum, quas ducere nolis:
Si mereor, sponsam da DEVS alme Probam.

In Ciuem Fœminam, penicillo pictoris expressam & coloribus, Hieronymo Arconato.

Hoc spectandæ habitu teneræ, quas aurea BRESLA
Lumen habet, ciues templa forumq́ petunt.

In Opificem.

Matri-

Matronæ hæc facies, hic & vestitus honesta,
Iuncta tribunitio quæ solet esse viro.

In Villicam.

Sarcinulas olerum & florum quæ mœnibus infert,
Lenta suburbano Villica rure venit.

Eidem.

Te ni plus oculis meis amarem,
Vltores Superos tibi precarer:
Quòd facti memor, Arconate verbi,
Ad doctum SCHOLIVM, tuum, meumq́;,
Hesterna hendecasyllabos dedisti
Aurora, lepidos nec infacetos.
Queis rides solita procacitate,
Et me ludificaris, inter omnes,
Quotquot temporibus fuêre priscis,
Vates, Virgilio quòd eminenti,
Vel contra trutinam peritiorum,
Nostro judicio proteruiore,
Succedat propè Statius sonorus.
Affirmo, nec adhuc nego, Maronem
Quòd magnifaciam, legamq́; sæpè,
Facundum, facilem, patremq́; linguæ
Romanæ: Sed eo parùm remoto,
Cui non detineat meos ocellos
Lucani graue Statiúe carmen?
Præsertim pede scriptitare magno
Si quiddam jubeant nouem Sorores.

Sic tu, nequitias iocosq; tractans
Festiuis salibus, legis, Catullus
Quicquid ludit agitq; Martialis,
Nugarum nimiùm boni magistri.
Nam nec sesquipedalibus tumescunt
Ampullis numeri mei (rotundum
Quantumvis studeam, sonansq; carmen
Deduxisse) nec Oedipum requirunt:
Sed riui tenerum fluentis instar
Per gramen, pedibus feruntur æquis.
Quod verum experiare, mitto laudes
Complexum Patriæ meæ, poëma.

Eidem Viennam ituro.

Quis tam præproperus vocat Sodalem,
Dilectum mihi patruelis instar,
In terras alio sub axe, casus?
Erratum satis arbitrarer antè,
Aspectis populis tot, urbibusq;,
Quot tellure mariq; vix obiuit
Lustris Icarij Gener duobus.
Primæuis (memini) tibi sub annis
Gentis Sarmaticæ reuisus orbis,
Et nostræ. Latium grauemq; Romam,
Ac plebis Venetæ domus beatas,
Nil lustrâsse fuit: Iouis sepulcro
Si non Creta foret petita mendax,
Extremiq; hominum ferè Britanni.
Ex quo multiplicis soni loquelam,

Et rerum varium rependis usum,
Non citra dubium tamen favorem
Fortunæ. Faciant dij, secundum
Occeptes iter, Austriam petendo:
Ac tandem patriæ relatus oræ,
Votum ingens Monicæ tuæ, parenti,
Et nobis reditu tuo beatis,
Erranti statuas modum labori.

EIDEM.

Si qui non studio, sed inscienter,
Aut prudens etiam, parùm peregit
Delicti, veniam meretur orans:
Cur fasso tenuem oscitationem,
Dum non officij vices rependo,
Condonare mihi, Arconate, nolis?
Huic ignosce moræ, cauebo posthac,
Vt nunquam merear reses vocari:
Explebóque molestus obruendo
Te scriptis Epigrammatisque nostris.
Sed quantum patietur hocce tempus,
Quod nunc omne ferè, meum libellum
(Scis vocum chaos & locutionum)
Mittendum ora per erudita vulgi,
Sub limam decies suam vocando,
Scribendóque decentibus figuris,
Absumo: Breue cui, nec inuenustum
Præludas epigramma comprecanti.
Orat carminibus suis idipsum

ETZLERVS, decus utriusq; nostrum,
Id præstabis & ocyùs remittes.

In M. Leonharti Etzleri Vratisl. Poëmata.

Albis arenosas tua dum stagnantis ad undas
Viua iuuentutem vox regit arte rudem:
Innumeros quoq; mille locis simul, Orbis in oras
Missa peregrinas, carmina culta docent.
Nec tam VVITTENBERGA, polo celebrata, superbit
Nomine, quam felix Patria, BRESLA, tuo.
Perge DEI laudes, ETZLERE, intexere versu:
,, Est pius, est justus, scribere sacra, labor.

In Bartholomæi Mandelij, ad S. Matthiam Magistri, insignia.

Vt Ioseph fratrum culmos in imagine somni
Vidit adorantum flectere more caput:
Pòst ipsos quoq; sustinuit, malè venditus olim,
Ante suos flexo poplite stare pedes:
Hac ratione tuas multi mirantur aristas,
Digne Magisterij, BARTHOLOMAEE, loco.
Magna gerit per parua Deus: Quis credat, ab agnis
Ad regni quenquam posse venire decus?
Dent longos tibi fata dies, & deinde sinistri
Ominis haud aliquid sors dubitata ferat.

In Iohannis Cyri, ad S. Vincent. Abbatis, insignia.

Aureus ut latum collustrans Cynthius Orbem,
Obfuscat radijs sydera cuncta suis:

Vtq; sagitta volans per ventos, concita neruo
Fortiter adducto, vulnera certa facit:
Sic CYRI irradiat facunda oratio Reges,
Magnorumq; Ducum fortia corda ferit.
Quando super regnis tranquilla in pace tenendis,
Munere Cæsareo nuncius ire solet.

In Effigiem Caſparis Pakiſch, Medicinæ D.

Sic oculos, ubi lustra nouem complêrat & annum
CASPAR, Apollinea clarus ab arte, tulit.

In coniugem eiuſdem.

Specta HELENEN, quæ viva Viro defunctaq; propter
Illibata thori fœdera, chara fuit.

Iohanni Chriſtopheroq; Naruſſovvitz: & Nicolao VVolovvitz, Baronib. Lithuanis, 25. Aug. An. 80.

Dum vos hinc, comites Ducibus Slucensibus, ultrò
Carmine quos humili prosequor, ire juuat.
Fronte capillatam serò mihi prendere Divam
Cur datur? ad Gallos cur aperitur iter?
Quis mihi jam litem dirimat, satiusne, sedere
Compositum requie sedis, an ire vias?
Me virtus vocat inde, petens majora: Parentum
Hinc vocat, & Patriæ, non simulatus, amor.
Quid si pœniteat me, non iuisse? Videtur
Præsagire aliquid mens mihi, certa mali.
Absit id omne, Deus. Nec te Virtutis honori
Prælatam, damno sit mihi; BRESLA, precor,

Secundis

Secundis Davidis Christanni Vratisl. & Susannæ Hippandræ, nuptiis.

Consortem thalami lecture, preceris oportet:
Quòd DEVS hoc merito poscat honore coli,
Exoratus enim fidam largitur: & æquus,
Cladis inhorruerit si genus, omne leuat.
Vt geminus coniunx ditescat prole, datæq́;
Lucis inoffensos sentiat ire dies.
Id votum firma, alme DEVS, dum fœdera DAVID
Altera connubij, te mediante, parat.

Iacobo Scholio.

Cannabe de torta, calamoq́;, aut caule, vel ipso
Sortitus culmo nomen, Amice, quis est?
Scilicet ille Senex, cui fallax Alea palmam
Præbet, is heu miserum me quoq́; vicit heri.
Seruitio sed eo mihi rursum elabier, Anser
Corporis haud macri, versus in igne dabit.
Quem si tu nobiscum inhias deglubere, quinta
Quando propinquabit, nos fac adire velis.
Fors erimus plures, quorum iucunda futura
Consuetudo, reor, nec sine melle ioci,

In turris alterius, ad D. MARIAE Magdalenæ, Globum & Indicem, ventorum vi deiectos, Anno 80. Decemb. XXVII. noctu, inter *11.* & *12.* horam.

Quid rear hoc portare noui? Trieteridis orbis,
Cumq́; tribus bis sex præteriêre dies:

Quid

Quando globum aëriumq; apicem simul, altera turris
Magdalidos Boreæ turbine nuda stetit.
Altera nunc etiam truncata videtur ijsdem,
Lustra superpositis, ceu liquet, ante tria.
Sit caussæ quidcunq; velit: Quæ vertice pulsant
Astra patent ventis, inferiora latent.

Paulo Hesso Medico.

Exiguum, Vir magne, tibi transmitto libellum,
Quòd patris ille tui nomina fronte gerat.
Accipe pacato (si qua est ea gratia) vultu,
Quaq; faues doctis, mi quoq; mente faue.
Laurigero mox tempus erit cùm fortior œstro,
Nunc libata, dehinc uberiora canam.

Nicolao Rhedingero, Patricio.

Suggestum quo pingo novum, cum fortè per aures,
Vir præclare, tuas carmen ijsse putem:
Vt facilem experiar te commendante, Senatum,
Proq; meis studijs verba ferente, rogo.
Sic tibi det Nuptæq; tuæ decurrere meta
Fœdus inoffensa coniugiale, DEVS.
Sic Trivia decimum mensem accelerante, pusillus
Nicoleos faciem vagiat ante tuam.

Magnifico viro Iohan à Puppschitz &c.

Me Litavûm mores studijs formante Baronum,
Exactis properè mensibus, annus ijt.
Ad mensam Abbatis Cyri, dulcedine linguæ
Quando stupebamus, Vir Generose, tuæ.
Mirati ingenium, & iunctas virtutibus artes,
Pectora Nobilium quæ modò rara rigant.

Auribus

Auribus arrectis, animisq; fauentibus omnes
Sæpè sedebamus, te peragente sonos.
Aduertente etiam fixam ipso Antistite mentem,
Iucundum Pyly mel superante Senis.
Vnde iuuentutis primæuo in flore, liquebat,
Tempora te studys multa dedisse bonis.
Ac penitus regione uias iuisse remotas:
Nunc quoq; doctorum voce librisq; capi.
Fretus eo candore, nouum hoc, sed inutile forsan,
Excutiendum oculis mitto poëma tuis.

Iohanni Hermanno Med. D.

Qualia tu reddis, Vir præstans, talia cuncti
Carmine pro misso si mihi dona darent;
Haud malè triuissem pangendo tempus eodem,
Iamq; suburbanum rus mihi penè foret.
Nil metuens prosternar ubi, viridante sub umbra,
Carmine cunctantem surripiente diem.
Nunc sed adulandi doctos, & inausa professos,
Posthabitis longè Vatibus, omnis amat.
Vos tamen illorum pauci deprenditis usum,
Vos, quacunq; datur sortè, leuatis ope.
Ergo bonam famam cognato æquatis Olympo,
Intereà ad tenebras Ditis eunte Mida.

Danieli Rapoldo I. C.

Quanta rependisti cum fœnore præmia, cuncti
Si mihi pro tenui carmine tanta ferant:
Carmen ubi decies castigem solus ad unguem,
Cras mihi rus tuta dulce sub urbe foret.

Sed modò laudantur, lusæ mercede, Camœnæ:
Nomen inextinctum defluat inde licet.
Quo siquidem gaudes, ô vir dignißime laude,
Hoc Epigramma lubens illius instar habe.
Plura dabo, cùm ferre sinet permissa potestas:
Opto tibi reddant fata benigna vicem.

Martino Schilling Patricio.

Præsulis aureolum MARTINI nomen habentem,
O MARTINE, memor te tribuente fero:
Argumentum ingens non vanescentis amoris,
Atq; poëmatio maius inerte decus.
Quippe foret lapsis huc vsq; diebus, ab omni
Munus Amicorum si mihi tale datum:
Iam mea Pannonios auro rutilante trecentos
Pauper inassuetas arca stuperet opes.
Haud tamen intereà, penitus cessantibus illis,
Sperno voluntatis conscia signa bonæ.
" Verba ferunt fido de corde profecta, salutem:
" Et magis argento gratia sæpè iuuat.
Tu, Vir laude potens, præstare videris vtrumq;,
Ergo mihi duplici nomine charus eris.
Immineat voueo illa dies, qua munere diuûm
Ibit in amplexus Nupta petita tuos:
Ac dicam lætum vestros Hymenæon ad ignes,
Patricioq; dabo carmina digna thoro.
Nunc ab amante tui, pro munere amantior aureo
Istud inauratum munus, habeto librum.

Sponſus. Anno 81. Iun. 19.

Coniugis optandum fugiſſe CALAGIVS vſum
Viſus, & ignaues continuaſſe dies:
Iam tandem meliora ſequens, conſtanter amorem
Vincla uacillantem cogo ſub arcta thori.
Namq; renidentes in me torquentis ocellos
Virginis vlteriùs qua ratione feram?
Frons ſyncera, pudor, placitæq; potentia formæ,
Exagitant animum nocte dieq; meum.
Vt Venus in me tota ruens, excuſſa feroci
Fronte reluctatum ſub ſua iura trahat.
Ergo Minerua vale, ſterilesq; valete Sorores:
Tyro Palepaphiæ jam noua caſtra ſequor.

In Clypeum & Symbolon Andreæ Reus, Vrat. Reip. à Secretis: Adfuit, aderitq; DEVS.

Ruſſus vt incuruo metuendus Acinace, turmas
Irruit, & claua proxima quæq; premit:
Sic Patriæ decus, ANDREAS REVS, iura fauore
Numinis & linguæ litigioſa domat.

Aliud.

Ruſſus in arma ruens, Clauam, ſibi numen, & enſem
Aduocat; bisq; furens agmina ſternit humi.
Aſt ea non rabies, REVSSI, eſt tibi, cuius agendis
Adfuit aſpirans, eſt aderitq; DEVS.

Geminis ſuis primogenitis, Anno 82. Febr. 8. & 9.

Sicut

Sicne gemelliparæ, Soboles mea, matris abortu,
Sicne moras vteri soluitis, ante diem?
Sanè ego jam cunas vobis cultusq́; parenti
Gaudia fingebam delitiasq́; mihi.
ANDREÆ tibi nomen erat, tibi MARTHA futurum:
Et fuit. Ah præceps quàm fuit illud erat.
Me tamen hoc solor, sacro quòd flumine loti
Viuitis, & patrem luditis ante DEVM.
Ite breues Animæ, fratres deîn atq; sorores,
Sæpè supergenitos, is velit esse super.

IN SYMBOLVM Georgij Hocnicavv, Secretarij Cameræ Silesiacæ.

DEVS PROVIDEBIT.

Pulchrum illud tibi semper, HOENICHOVI,
In blando fuit ore: PROVIDEBIT,
Qui conuexa DEVS gubernat astra.
Immutabilis ista non fefellit
Expectatio Prouidentiæ te:
Quando nunc in ea tibi beato
Acquiescere contigit supernè.

Aliud.

Æmilius Genitor quod Maximus ille Rudolphi
Symbolon egregium gessit in ore suo:
Illud idem fuit vsq; tibi commune, GEORGI,
Vota capessendo dum rata ferre datum est.

Aliud.

Visurumne DEVM porrò, velut antè, GEORGI,
Obdurasse tuo semper in ore, doles?
Vix reor: Illa tui certè spes credula voti,
Quamvis sera, tamen non peritura fuit.

Aliud.

Mente DEI demissa fluent mea fata, GEORGI,
Crebriùs ærumnæ vox fuit vna tuæ.
Quis potuit, quæso, te verior augur haberi?
Commodiore frui iam tibi sorte datur.

Aliud.

Semper in ore tibi fuit illud dulce, GEORGI:
Nostra regit, rexit fata, regetq́ DEVS.
Haud equidem certum præsagæ lusit, opinor,
Augurium mentis spes animosa tuæ.
Munere Cæsareo cùm plenus honoris in illa
Experiare tuos molliter ire dies.

Aliud.

Non frustrà ingeminans Henichoui amplissime, multùm
Prouidet ipse DEVS Proq́ videbit, ais:
Cùm parto fulgere tibi permittat honore:
Mox idem socio faxit amore capi.

In Adriani Iunij emblema: Impunitas ferociæ parens.

Martino Korsinski, Equiti Polono.

Improbus haud metuit mus capto illudere feli:
Musca quiescentis fronte proterua sedet.

Extinctæ

Extincto barbam vellit lepus ore leoni:
Sibilat & tremulos praua iuuenta Senes.
Amplius audebit scelerata licentia, buccis
Ni praefixa suis dura capistra sciat.

In Alciati emblema: Iusta vindicta:

Andreae Korsinski.

Quem nihil, irrisis Superis, Polypheme, timebas,
Is tibi fronte cadens lumen hiante rapit.
„Vincit suadendo, quisquis non vincit agendo:
„ Impius vltorem temnere parce DEVM.

In eiusdem Hederam.

Andreae Rosario Cracouien.

Flexibiles errent hederae mea tempora circum,
Dum meus in pubis puluere sudat equus.
At nostra melior quos sors respectat, inumbret
Laurus, odoratis ambitiosa comis.
Dij requiem, Dij fausta mihi dent tempora vitae,
Atq; suburbani iugera pauca soli:
Forsitan illam etiam audenti sperare licebit:
Nunc quò fata trahunt me, retrahuntq;, sequor.

Iacobo Scholio.

Tussis, odontalgia, grauedo, catharrus, & acris
Ophthalmia, nouae quae luis instar habent:
Iamq; sub hoc vernum tempus, per compita serpunt
Cuncta ferè, miserum me quoq; parte premunt:
Praecipuè, euictis jam alijs, laeui igneus ardor
Luminis, haud vnquam cognitus antè mihi.

Ergo tremiſcentem radios, odioſa iocando
Tempora triturus, viſe Iacobe, precor.
Pranſe veni, agreſtes ſed cœnaturus anates,
Munera inutiliter diuite miſſa lacu.
Haud plures adſciſcam alios: ſolummodò mecum
NITIVS atq; Faber BARtholomæus erunt.

Friderico Nitio.

In teneris vmbraq; necis, FRIDERICE, ſedentem
ANDREAM ægrum oculis, viſere quæſo veli.
Si miſerum Thamyram non picta tabella iuuabit,
Alea fortaſſis blanda iuuare poteſt.

Barthol. Fabricio.

Quæſo locuturus ſimul & luſurus, adeſto:
Dum feruore mihi pupula læſa rubet.

DE TRIPLICI Atq; inuerſa Iride: Anno 82, April. 14. Paſchatos paraſceue, manè viſa, pareliorum ſpecie.

Ad Nicol. Rheding.

Quas bibat Iris aquas, nimbis alimenta futuris,
Quæq; repercuſſo nubila Sole notet:
Vtq; vias longè porrecta per aëris, arcum
Ingentem Zona verſicolore trahat:
Longiùs edocuiſſe ſolent, ratione ſagaci
Eſt quibus in ſuperas ſcandere cura domos.
Hæreo ſuſpenſus, quidnam portendere dicam
Eius, inexpertum forſitan antè, ſitum.

Nam ſiquidem inclinans terræ ſua cornua, nubis
Rara refulgentis lumine dupla, rubet:
Subtexente polum non vlla nube, videre
Vnde ſupinatam tergeminamq́; licet?
Nimirum inuertente hominum ſe more, remiſſo
Fœdere naturæ vertitur ordo retrò.
Iuro (omen procul eſto procul) mala ſi ſine fine
Facta cupiuerimus multiplicare malis:
Ipſe ſidem rerum laxans, compage ſoluta,
Miſcebit ſummus arbiter ima DEVS:
Fœderis antiqui non immemor, Iridis arcum
Sponſorem veniæ qui per inane locat.
„ Signa monent homines, & triſtia ſæpè minantur:
Si metuenda tamen peſſima, CHRISTE veni;
Et bonus innumeris fatorum caſibus actos,
Parta tuis meritis transfer in aſtra Pios.

In ſuo ſe iugulantem cultro, in ipſo templo.

Non benè tam ſancti menſuram nominis imples
CHRISTOLE, cùm propria conficiare manu.
Tunè redemptoris merito ſic niteris amens,
Pectora ſi culpæ conſcia fortè geris?
Sicnè repenſuris votisq́; DEOq́; relinquis,
Pendet in ambiguo ſi tua cauſſa foro?
Haud ita ſubmiſſis oculis Sons Numina ſupplex
Ille precabatur lapſibus æqua ſuis.

Haud ita lite super (Christo dicente) marito
Orba querebatur Iudicis illa moram.
Nec tibi rescindis luctantia guttura cultro,
Nec sacra commaculas sanguine templa tuo;
Tristia cum fremitu subiturus tartara, Vitæ
Cœcus ad æternæ gaudia rumpis iter.
„ Viue DEO, litesq́ fori fuge cautus & insons,
Fine bono vitam claudere quisquis amas.

Iohanni Hauptmaiero, & Sabinæ Czekorn, Sponsis.

Vesceris æthera quisquis iam grandior aura,
Hac age te natum conditione scias:
Non ut delitijs, vetitaq́ libidine, quouis
Tempore pro libitu luxuriere tuo:
Sed positis vitijs, precibusq́ in vota vocato
Numine, coniugio subdere colla pares.
Præstat enim, Diuo PAVLO testante, jugandis
Nubere, quàm stimulo turpis amoris agi.
Idq́ diu versans matura mente, IOHANNES,
Ponere vis iuuenis nomen, habere viri.
Ergo etiam diuturna DEVS tua vota secundat,
Et tibi speratam, gaudia summa, dicat:
Insignem forma, pietate, & stirpe puellam,
Atq́ pudicitiæ nomine dulce decus.
Idem Vos, opto, vitæ concorditer omnes
Non sine prole dies continuare velit.

In Malcuolum.

Carmina

Carmina proueniunt deducta valente cerebro,
Quando bonus vires spiritus intus agit.
At quid odontalgia, caput vertigine sufflans,
Docta paraturum concinuisse, sinat?
Dij faciant, hæc te totis inuadat habenis,
Excusata tibi qui minùs ista legis.

In eundem.

Frigeat hoc quòd carmen, ais. Miraris, Agaso,
Quòd natum in medio frigore, viuat adhuc.

Ipso Epiphaniorum die, Ad Casparum Pakisch, Medicum.

Quos vocitat scriptura Magos, qui munera Christo
Terna recens nato, supplice corde ferunt:
Regi aurum, myrrhamq́; homini, gentilis honorem
Mortis, & immenso tura Sabæa DEO:
Tres facit, & magna Reges de stirpe vetustas
Relligiosa, vocans nomine quemq́; suo.
Melchior insignem sceptro, secreta notantem
Caspar, adornantem Balthasar orsa, sonat:
Quòd prece, quòd precio, quòd honore, fauore, & amore
Horum, Relligio prospera semper eget.
Tu, medij qui nomen habes, Vir clare, potenti
Funde, precor, mecum debita vota DEO.
Dira lues, malesuada fames, bellumq́; cruentum
Sint procul, ac nostros pax beet alma lares.
Sæpiùs & nobis sperantibus optima, fato
Iste reuoluatur candidiore dies.

Marthæ, Filiolæ ſecundæ.
Anno 83. Ian. 16.

Tu quoq; ſpem contra, ſubitò orbatura parentes,
Naſceris infauſta nocte, dieq; cadis.
Quæ fati vis tanta, precor? Sic lilia quondam
Florida luce nitent, marcida nocte iacent:
Vis ea vis mors eſt, peccato debita merces,
Quæ manet infantes non minùs atq; ſenes.
Eius & impatiens, impune quis aſpera queſtu
Audeat in iuſtum dicere verba DEVM?

In natalem D. Pauli Heſſi Medici.

Pauli clara dies plenum ſucceſſibus annum,
Sanguineum ventis aſpera Martis opus:
Imbribus aucta, famem: nebulis obſcura niuoſis
Creditur horrendam ſignificare luem.
Omen id euentu nobis procul eſſe, precemur
PAVLE: Lycaonias fert hodierna niues.
Moxq; eadem, ad medios operum veniente labores
Sole, ſerenatis nubibus alma nitet.
Ergo DEVS, ſi quid delictis triſte minatur,
Hoc tamen affectus temperat igne ſui.
Et meliùs ſimul eſſe, quis inficiabitur vnquam,
Manſueta DOMINI procubuiſſe manu?

Ad Scalam Iacobæam, ſeu
Tabulam Epitaphij, nobilis juuenis
Iacobi Vthmanni.

Qui

Qui dormit, sensim moritur: longùm æthere cassus
Stertit: at æternùm, qui benè vixit, erit.

Aliud.

Somni blanda quies est mors breuis, ipsaq; longus
Mors sopor: ast æuum perpes vtraq; caret.

Aliud.

Hæc vita aut mors est, aut certè mortis imago:
Parta Redemptoris morte, perennis erit.

In Temulentum Versificatorem.

Pestiferam tua metra luem spirantia, si non
Dente Theonino, sed lacerâro manu:
Aut indigna legi, piperisq; crociq; cucullos
Fecero: seu, nimiùm sed propè, lingua sile;
Quæ tandem inuidiæ vindex me pœna manebit?
Improbus idcircò Zoilus ecquid ero?
Iamdudum metuo misero mihi flagra crucemq;:
Iam mihi succiduæ contremuêre nates.
Vis vel adorari, Vel Homerus (opinor) haberi?
Non ego vinosum dignor honore virum.
Desinito exosis tua putida scripta, minari
Helluo, si refugis notior esse gula.

Paulo Hesso.

Ædibus inclusus latito miser, arida morbo
Affligente graui corporis ossa mei.
Ergo Pontani mihi lecta poëmata nondum,
Siue Bohuslai mitte Baronis opus.

Vt tem-

Vt tempus non dulce teram: Properabo legendo,
Cras poßim domino restituisse suo.

Eidem.

Montanum cupiens, Pontanum errore petitum,
Post cras hesternum rursus abire sino.
Nunc quibus indigeo solis, Huttene, Mycille,
Aut Sambuce, tener siue Marulle, veni.

Martino Schilling.

Seriùs, æger adhuc depastis febre medullis,
Debita coniugio carmina mitto tuo.
Malo etenim seruare, licet non absq; periclo,
Quàm temerare datam qua leuitate fidem,
Ergo ea si forsan subsidunt poplite claudo,
Debilis id vitium corporis esse, puta.

Christus humani Generis hostes calcans.

Ad Tabulam Epitaphij
Michaelis Vthmanni.

Cœlo, erebro, terraq; potens Mediator, & anguis
Et Satanæ & mortis, sub pede colla terit.

M. Leonhardo Etzlero Decano, 15. August. Anno. 83.

Qui quondam, non sponte mea, his divulsus ab oris,
Conspectu carui fors duo lustra, tuo:
En redeo quintò, studij ambiturus honores,
Et peto congressum, colloquiumq; tuum.

Læter at vnde magis? vel, quòd coniungere dextras
Detur, & amplexu subbreuiore frui?
Vel, quòd in aduentu nostro, tibi filius infans,
Fortè salutaris fonte lauetur aquæ?
Omen id esse velim: Primis constanter ab annis
Nos inter fratres gratia quanta fuit:
Tanta si æternùm sobolem concordia nostram
Inter, & agnatus nexus, & vna fides.
Ista quidem nunc orbus opem sed spero Tonantis:
Qui prolem arbitrio dat, recipitq; suo.

Friderico Holstein Bolisl. competitori.

Quis, vita mihi chare magis FRIDERICE, putasset,
Si dixisse tamen sic, sapientis erat:
Extorres olim patrijs, sociosq; pericli,
Sorte redonandos dexteriore focis?
Est equidem (moneo) quod confiteare, benignè
Fata gubernantis munus id esse DEI.
Nec sat erat, tibi pasci hominum pia pectora Verbo,
Fruge Cleanthea pubis at ora mihi:
Ni postliminio velut emolumenta reuersis
Clara Magisterij det VVITEBERGA decus.
Absit, honos hic extet onus: Patriæ vtilis esto,
Atq; tuæ laudi seruiat, alme DEVS.

VVenceslao Petschki, Ciui & competitori suo.

Tu quoq; qui mecum virtutis amore, suoq;
Cade cucurristi, præmia digna capis.
Nos studium quia iunxit idem puerilibus annis,
Nunc etiam merito iungit & ornat honos.
Non equidem ille leuis: Leuior iactura monetæ,
Quam, quiuis etiam Codrus, habere potest.
Doctrinam sed habere nequit. Tantùm illa diurnæ,
Nocturnæq; vicis parta labore, venit.

M. Melchiori VVeiglero.

Quòd promissa tibi, non sint tibi carmina missa,
Caussa patet duplex, nulla Pelasga fides.
Et quia forte meam subiêre obliuia mentem:
Et quòd aberrauit, qui moniturus erat.
Namq; domum casu vicini ingressus, ibidem
Distichon & librum liquit, utrumq; tuum.
Ast ipso primùm nunc transmittente relicta,
Cana fides memorem me facit esse tui.

Eidem.

De Ephemeride Iohan. Seccerutij.

Dum nostris nimium tu delectaris Ocellis,
Cum SECCeruitio vota capesso tuo.
Quæ moriturus olor cecinit vescentibus aura,
Quæq; rudes manes nunc iterare docet.
Euge sacer vates, Patriæ decus addite nostræ,
Quantumuisq; pie mortue, viue tamen.

De verecundia quorundam.

Ad festas epulas quidam uenêre uocati
Nuper, & instructis discubuêre thoris.
Inter & hos gemini, qui relligionis amore
Nomen adoptiuum promeruiße volunt.
Iamq; cibo feruent stomachi, dulciq; Lyæo,
Cùm subito Fratres lumina torua tenent.
Conuiuæ ignari caußæ, obstupuêre silentes,
Hospes eos Euoë dum iubet ipse, sonent.
Tum Fratrum alter ait: Quis relligiosus in ista
Terrificum mensa quærat habere locum:
Occurrunt duntaxat ubi fœdißima, vultum
Fortè verecundum quæ stimulare queant?
Aut igitur sint hæc procul insidiosa pudori,
Aut ego cum socio, si libet, ibo foràs.
Nimirum in vitro, non visa impunè Diana
Cum teneris Nymphis, conspicienda fuit.
Quæ nisi dempta, leuis ceruus mox ille fuisset.
I nunc, & castos scilicet esse nega.

M. Melchiori VVeiglero.

Festa propinquârunt IESV solennia CHRISTI,
Est quibus intacta Virgine natus homo.
Illaq; concelebrare pio nos laudis honore,
Atq; animi vera relligione, decet.
Ebrietas, luxusq;, duo non parua facessant
Crimina, pellenti sobrietate procul.
Mentibus ac Verbi uiua virtute refectis,
Nostra requisitus corpora uictus alat.

Danieli Engelhart.

Ocior inuitus: promissos ergo poëtas
Mitte reuoluendos, ut mihi sit, quod agam.

Eidem.

A te magna satis, DANIEL charissime, testor
Munera pro vili munere missa mihi.
Lucina meliore utinam, nec ut antè sinistra,
Mansurum faciat me mea MARTHA patrem.
Fulgebitq́; decus CÆSAR puerile RVDOLPHUS
A sobolis collo pendulus ille meæ.

Magnif. viro, Andreæ Dudith. Oratori consiliarioq́; Cæs.

Quòd pauper Vates sit auis notissima terris,
Dicere sæpè soles liberiore ioco.
Si virtute tamen præstans, famulusq́; sacrorum,
Pauperis indignum nomen habere potest.
Sed verum, numerosa docent exempla, miserq́;
Attestor nimium forsitan ipse meo.
Nec miseros solùm ista ferit fortuna poëtas:
Quippe Sophistarum uexat amara gregem.
Caussa subest non vna: alijs sua mantica, magna
Mens alijs, alijs aspera fata nocent.
Maxima pars stolidum famæ postponimus aurum,
Sortis amatores dantis ad astra viam.
Nec rigida mutamus opes virtute, uoraci
Stulta relinquentes uota lyramq́; Midæ.

Splendet

Splendeat in mensa tenui modò dulce salinum,
Atq; metu vacuos panis inemptus alat.
Sicq; beatus eras, ope Mecœnatis, Horati,
Vt tutò auderes spernere vulgus iners.
Eja Sabinorum me scripto hærede tuorum,
Pulverulenta scholæ munia deme mihi:
Dispeream, tecum nisi fastidita columnas
Attalicas, cultu simplice tecta colam.
Nilq; deos ultrà poscam, nec auarus amici
Implorabo humili voce potentis opem.
Sorte mea lætus, venam exercebo benignam
Ingenij, haud mendax quàm mihi Parca dedit.
Et demum manibus posito quocunq; libello
Maluerit lector BIBLIDA *fortè meam.*

Eidem.

Sæpè casas subiêre dij: cur ergo poëtæ
Successisse domo, tu tibi turpe putes?
Si venies, præstantis erit mihi muneris instar:
Quippe recepisti, velle venire semel.
Sin obstant res fortè graues, languorue, pudórue,
Vt nequeas ad me ferre, negesue pedem:
Quicquid id est, misso expediamus utrinq; ministro:
Me prodire hodiè pharmaca sumpta vetant.

Magdalenæ, tertiæ filiolæ, natæ & mortuæ 2. Aug. Anno 74.

Tu quoq; germanum comitata, duasq; sorores,
Quid properas, vixdum Magdalis orta, mori?

Siccine, spe citiùs, me nomen amabile patris;
Sicne creatricem, matris habere, vetas?
Tardaret si forma necem, tardasset, opinor;
Hæc tua, quæ vivæ blanda futura fuit.
Sed neq; mors formam, nec opes, nec membra, nec an.
Nec genus, aut magnum curat iniqua sophos. (nos;
Cùm repetit vitam, nob. quam credidit usu
Conditor, ut cupias, nemo negare potes.
Quos tamen ipse dabit porrò fratrum atq; sororum,
Vt dabit, in laudes det superare suas.

De eadem suspirium.

Vsq; adeò ne, DEVS, vitijs asperrime, longos
Succensere mihi pergis in usq; dies?
Vt, quam das sobolem, paucis nisi forsitan horis,
Et magè nocte, diem cernere nulla queat?
An, cernat si fortè, malam præsagus opiner?
Nec querar, in vitæ limine quamque rapi?
Gigno pares, melior nil patre. Diespiter omnes
Maxime, te coram quid, nisi noxa sumus.
Da veniam, da qui mensam minor ante sacerdos,
Vota mihi dicat non malè, vota tibi.

Laurentio Schopio iterum Sponso Anno 85. Febr. 26.

Ante duos, dulcis LAVRENTI, aut circiter annos,
Cùm dignaretur te prior EVA virum:
Inclinabat ei fatalis Aquarius vrnam,
Signa jugandorum non inimica thoris:

positu astrorum promittebatur utrisq;
Læta quidem, verùm non diuturna Venus:
Inde gravem extemplò licuit tum cernere Nuptam,
Sed quæ cum fœtu mox obitura foret.
Te jam aliam viduo thalamo inducente puellam
MAGDALIN, aucturam teq; tuumq; genus:
Sydus idem emergens spondet meliora, duosq;
Fœcundos, utinam, vi propiore docet.
„Sæpè quidem vitæ mensura notatur in astris;
„ Sed DEVS & vitam liber, & astra regit.
Idem etiam, quæcunq; super sunt, fata secundans,
Omne malum à tædis arceat, opto, tuis.

Iacobo Scholio, munere scholast. se abdicanti, & Reichsten. migranti. p. 36.

Hoc quod doctè Scholi, posthac iter expetis æqui,
Tædia post miseræ tam diuturna scholæ:
Privandi sermone tuo gratamur Amici,
Esse ratum jubeat, nec sine fruge, DEVS.

Auspicium sinistrum.

Omen habet, Scholio dixi, cùm venderet ædes,
Ac Vespillo emeret luridus, omen habet.
Omen habere, negat Scholius securus: At omen,
Rursus ego ingrediens, si modò credat, habet.
Vix annus lapsu properârat, & omen habebat,
Vero etiam nimiùm verior augur eram.
Quodq; mihi quondam fatale pepercerat ægro,
Reichstenium Scholio busta necemq; dabat.

Tabificum culpem potumne, vel aëra, nuto?
,, Omnia pondus habent; & sua causa neci est.

Francisco Richter, Notario Reichst.

Hoc siquidem, dilecte mihi FRANCISCE, libello
Multa legis, quorum te meminisse juuat:
Vt quando non absq; joco (sino cætera) rides
Infelicis Equi juncta pericla meo:
Illius exemplar, cura cedente, legendum
Cur tibi poscenti non tribuisse velim?
Accipe, cumq; meo SCHOLIO ridere memento
Me tantum, quantum sat benè ferre queo.
Ne nimiùm derisus ego irridentibus optem
Haud bona, mustelas inter habere locum.

M. Iohanni Meisnero, Reip. Vratisl. ab Epistolis.

Clara colorato cur addere sydera Cœlo,
Et nemori frondes nitar, aquasq; mari:
Aut cur peruersum vates dem carmina vati
Munus, in ærumnas ambitiosa suas:
Nec Mecœnatem potiùs quæram, unde lucelli
Et præsentis opis spes superesse queat:
Fortaßis MEISNERE rogas dulcißime caussam?
,, Dico: preces precio vendere nolo meas.
Hæ licet inuolucris fatorum arcana recondant
Qualia Tarquinio casta Sibylla tulit.
Non ô non, suscepta piè, vota æstimo tanti:
,, Sunt sacranda DEO, carmina facta DEO.

Ne

Ne tamen in jus fortè malo cuicunq; vocentur,
Tuta patrocinio sint, precor, ista tuo.

In Rom. Imp. Septemvirorum insignia à Barth. VVeinero, pictore Vratisl. efficta.

Picta suis numeris, viuisq; coloribus arma,
Munus Appelleum, lector amice, vides.
Quæ libet indultu SEPTEM ostentare VIROrum,
Quos Electores Teutona lingua vocat.
Cæsaris inprimis, qui nunc notissima cœlo
Imperij patrij sceptra RVDOLPHVS habet.
Ista quidem spectare licet passim: ordine tali,
Arte, modo, signis, vix puto visa priùs.
Artificis tantum solers industria præstat,
Et quæ fouit opus grande, benigna manus:
Præsulis ANDREÆ: placidus quà VIRginis ædem
MATRIS Arenosis ODERA cingit aquis.

In Monomachiam cum morte suam.

Quæ modò, telorum dominans in mœnibus urbis
Turbine, mors hominum deijcit omne genus:
Quid sua pectoribus per somnum pectora nexu,
Et digitos digitis implicat atra meis?
Incassum. Quia victor ouo, liquido omine lætus,
Fors & ouaturus deinde, tuente DEO.
Iam certè genitor, neptes, socrusq;, sororq;,
Et cognatorum nomina plura jacent.

Ipse super, velut unus, adhuc ego, spiro, seuera
Candida Lanifica fila trahente colus,
Muneris est utrunq; tui, seu luce fruuntur,
Seu mea soluuntur lumina morte, DEVS.

VITO Patri, septuagenario, & MARIÆ, Sorori natu maiori, duabusq; eius filiabus 23. Iulij. 85.

Quò tibi, quò juveni toties euadere Martis
Profuit, & Mortis tela globosq;, pater?
Alterius vi quando senex vegetusq; valensq;,
Cum nata, gemina nec sine nepte, jaces?
Aut erat in satis, tumulus quoq; conderet unus,
Quos lare communi condidit una domus!
Sic erat omninò. Vitam, quam credidit autor,
Iure suo clemens hanc repetitor habet.

Andreæ Filiolo nato 10. Novemb. Anno 85.

Qui sobolem dedit antè mihi sator ille quaternam
Et tulit, haud ulla tabe fluente polis.
Te quoq; dat, sed peste luis spargente per omnes
Semina dira domos, ac superesse jubet.
O jubeat superesse diu: neq; tempora vitæ
Turbida nimbosus denotet iste dies.
Et, quod habes patris, nomen virtute metuq;,
Si cupies rectè vivere, vince DEI.

In Thomæ Schvveikeri, brachiis manibusq; carentis, scripturam pedum ministerio directam, & Vratisl. in bibliotheca pub. spectandam.

Exemplo fortaßè nouo, mirabere ſpectans
Haud digitis dextræ ſcripta, ſed iſta pedis?
Natura peccante, ſuos fundendus in artus
Ille, pererrauit ſpiritus ima pedum.
Inde habitum generat natura fortior uſus,
Quæq; forent palmæ munia, planta facit.

Argumenta Eclogarum Virgilij.

PRIMAE.

Pulſus agris, patriaq; ſua Melibœus, in umbra
Tityron extenſum, & meditantem offendit amores.
Alternis igitur dicunt: Hic ocia vitæ
Tuta, Deumq; ſibi qui fecerit illa, celebrat,
Poſt bellum ciuile redux natalibus aruis:
Ille ſuam patriæq; vicem dolet æger & expes.

SECVNDAE.

Incaſſum Corydon paſtor complexus Alexin,
Sub patula fago queritur rapientibus auris,
Non indigna cedro ſua carmina, ſeq; bidentum &
Lactis abundantem, ſperni: rurisq; beati
Munera dilectus ſocio promittit amori:
At ſibi faſtidito alium quemcunq; favorem.

TERTIAE.

Paſtores duo, rivales, cedente pudore
Litibus exercent linguas mordacibus, alter
Alterius furtum increpitans, odiumq;, nefasq;.
Hinc certare parant. Veniente Palæmone, cepti
Arbitro cantus, alternis diſticha dicunt
Ambo pares, vitulaq; dato ſeu pignore, digni.

QVARTAE.

Sumpta Sibyllarum ſacris oracula libris,
Ad Chriſtum referenda, Maro detorquet adulans (Ar-

Arte Salonino, ſobolem ſibi Pollio nuper
Quem genitum lætatus erat: reſeratq; futura
Ordine, promittens mortalibus aurea ſecla,
AVGVSTO pacante ſuis virtutibus orbem.

QVINTAE.

Arte pares animiſq; duo, frondente ſub antro,
Cuſtodes ovium invitant ad carmina ſeſe.
Daphnidis ergo obitum, & poſtremo munere mortis
Donatum cinerem gemit alter: at alter amici
Carmina commendat: mox plenam excurrit adempti
Daphnidis in laudem: inde ſuam ſtudioſus uterq;.

SEXTAE.

Silenus, Bacchi famulus, ſpem præter adortis
Seq; petituris pueris in vincla, coactus
Verſibus exprompt is Epicuri é dogmate (cuius
Virgilius ſtudioſus erat) primordia cœli,
Et terræ, rerumq; canit: ſimul ordine famæ
Proſequitur tritum mendacia vatibus orbem.

SEPTIMAE.

Errabunda ſequens capri veſtigia, ſubter
Ilice projectum Daphnin Melibœus in æſtu
Aſpicit. A quo juſſus humo reſidere, reperti
Spe capri, Corydonem inter Thyrſinq;, canendi
Arte pares, ætate pares, atq; Arcades ambos,
Auditum ſibi grande refert certamen ad aures:

OCTAVAE.

Paſtorum, miranda feris quoq; muſa duorum
Dicitur. Ille leuans baculo ſua membra, ſub ortum

Solis amore leuis lusum se mœret amicæ:
Vltoresq; vocans Superos, vim tristis amoris
Aggerat exemplis. Hic suspicione repulsæ,
Carmina dira uirum revocantis ab urbe, recenset,

NONAE.

Se patrijs agris exutum Mœris amico
Conqueritur Lycidæ, & lætatum rursus ijsdem,
Inuidia accrescente licet, post ciuica bella
Augusto reddente, sibi gratatur. Et inde
Illius simul atq; suas, bona pacis, & artem
Carmina pangendi, lepido fert carmine laudes.

DECIMAE.

Vltima, laus Galli est, contabescentis amore,
Naiadibus Nymphis non succurrentibus ægro:
Extinctumq; simul lugentibus, haud sine planctu,
Montibus, arboribus, gregibus, pastoribus, & dijs.
Vt sit amor stultus, leuis, & temerarius, omni
Delicijs ruris, domina & præsente, medebor.

EPIGRAMMATVM
M. ANDREAE CALAGII
VRATISLAVIENSIS
LIBER III.
INCLYTO PATRIAE
SENATVI.

Has lacrymas, ne quæso mihi labantur inanes,
Sed multis similes elicuisse queant:

Excipite ô justas, faciliq; abstergite dextra,
Insignes meritis ac pietate Viri.
,, Supplicis & flentis, Procerû est, miserescere; contrà,
Difficiles flecti, cogere jure suo.
Cogetis, si liberiùs manare sinetis:
,, Quid magè quàm lacrymæ, saxea corda movet?
Ac fiet fortasse, nocens ut plurimus, istis
Admonitus, vitæ corrigat acta suæ.
Sic vobis sit certa salus, sit longius ævum,
Dante DEO, & vestra Patria constet ope.

Civibus Eruditis, Anno 86. 8. Maij.

Quisquis afflictæ Patriæ favore
Tangeris, sortem miseram dolentis
Nuper infanda lue mortuorum ob
Numinis iram.
Et gemens mecum, minùs usitato
More, vis Verbum FLEO conjugare,
Per modos omnes, sua perq; grandi
Tempora versu.
Mox ubi primæ breve pransus horæ
Indicis signum propiùs videbis,
In schola nobis age Magdalæa
Protinus adsis.
In Senatorum numero Virûmq;
Eruditorum, memores querelas
Audies fletusq;, tremenda propter
Omina spreta.

Aptius nugis potiùs vacare,
Et DEI justas nihili putare
Vindicis pœnas, procul hinc facessat
Mobile vulgus.

At quibus certæ studium salutis,
Et celebratis operata Musis
Cura non sordet, minimo favete
Tempore linguis.

M. Samueli VVolfio Hirschperg. P.L. & Secret. Elbingen. Atq; Elizabethæ Bormaniæ. Sponsis Anno 86. 26. Ian.

Vt pelago, terraq́; diu jactatus, opima
Mercator patriæ non sine merce redit.
Erroriq́; modum statuens, tranquilla sequentis
Temporis in partis ocia rebus amat.
Sic meus ad metæ stadium interioris anhelans
VVOLFIVS, errato marmore, tuta petit.
Lar patrius puerum, juvenem BVDOrgis, ephebum
LIPSIA, maturum LEVCOris alma tulit.
Dum clarum linguis & honestis artibus, ornat
Ipsa Magisterij Pallas amica gradu.
Hinc mores hominum cognoscere juvit & urbes,
Ac benè vivendi perdidicisse modum.
BREgela meta viæ defessum ad flumina VEPRI
Misit, & illustrem jussit habere scholam.
Atq; POLONORVM docilem formare juventam,
Et plantare bono germina grata DEO.

In

In MOSCVM STephanus rex bellum moverat ingens,
Ac tulerat domito victor ab hoste pedem.
VVOLFIVS Herois Mauortia carmine facta
Condidit, & munus laurea serta tulit.
Qua virtute inducta, suis ELBinga tacendis
Advocat è pubis puluere clara virum.
Exosoq; thoros formosam obtrudit ELISAM
Insuper, & thalami jura placere facit.
Quod restat, DEVS adde decus, lenimen, honorem,
Spem, bona, successus, pignora multa, dies.

In Strelensium insignia, ad scholam novam.

Lance potens, gladioq; minax velut ille MICHAEL
Assidua aduersus dæmona bella gerit:
Sic rectè STRElensis agens, omnisq; Senatus,
Exulibus Musis atria digna struit.
Vt vigeat diuinus honos, respublica, & artes,
Barbariesq; vetus cedat abacta procul.

Encomion Scholarum.

Quæ templis adversa vides, vel proxima passim
Culmina, cuiusuis pro ratione loci:
In quibus assuescens pietatis & artis amori
Voce Magistrorum, prima iuuenta vacat:
Fama scholas vulgata vocat, quoniam ocia Musæ,
Non quæ dicuntur segnia plebis, amant:
Sed quæ certatim studiosa quietis honestæ,
Humanis vigilant usibus, atq; Deo.

Ex istis etenim emittuntur idonea solùm
Instrumenta sacris, vrbibus, atq; locis.
Et potiora quidem, prisci quàm temporis annis,
Has ubi vulgus iners incoluêre domos.
Nimirum indignè nati consumere fruges,
Humanumq; strophis implicuisse genus.
Hocq; senescentis mundi sub cardine donum
Quisq; magistratus sis memor, esse Dei.
Ac ne relligio, virtus, doctrina fatiscant,
Perge ruinosis subdere fulcra scholis.

Dauidi Sporero, & Marthæ Scharffin Sponsis. An. 86. Aug. 18.

Sponse tibi, sponsæq; tuæ, quæ digna futuris
Coniugibus gratus debeo, vota fero.
Quando pium aggredientis opus quodcunq;, piorum
Nil magè quàm lacrymæ, vota, precesq; iuuant.
Summe Pater, costam autor Adæ qui fingis in Euam,
Et supples mutilum carne recente latus.
Ac Fili tu, Patris amor, dignate venire
Pauperis ad Canæ connubiale sacrum.
Tuq; sacer Flatus, qui pontum, sydera, terras,
Viuidaq; arcano numine corda foves.
Fer propiùs DEVS alme pedem, implorantibus unus
His quoq; coniugibus præses & autor ades.
Pelle tuis Satanam atra satis sata fraude ferentem,
Iurgia, probra, iras, verbera, pelle procul.
Et Genium submitte bonum, bona pacis abundè
Laturum, è gremio diuite missa tuo.

Nempe

Nempe tui cultum super omnia, deinde pudoris,
Omnis honestatis, justiciæq; decus.
Affectus pariles animorum in amore jugali,
Ambo ut idem nolint semper, idemq; velint.
Vestimenta suis membris, alimenta culinæ,
Incrementa domo, pignora multa thoro.
Ærumnis lenimen, opem queiscunq; periclis,
Vitæ annos, animæ deniq; regna poli.

Epitaphium Rosinæ Schillingiæ, defunctæ Anno 86. Sept. 11.

Halabat quæ mane novo ROSA florida, sero
Inclinata caput vespere, plangit humum.
Huc, superum contemptor, homo tua lumina verte,
Et rerum dubias experiere vices.
Sis iuvenis, sis dives opum, sis viribus audax;
Temporis in puncto turpe cadauer eris.
Fastum igitur, compesce tuum, & submissus honora,
Sicut honorauit casta ROSINA, DEVM.
Vt superes fulgore rosas, ac si quid odorum est
Suavius his, aderit quando suprema dies.

M. Martino Langæo.

Dum matutinus fastos nunc metior, istam
MARTINI insignem nomine cerno diem.
Quis charus mihi, gaudet eo? LANGÆE ligando
Protinus en habeas vincla parata tibi.
Hæc excussurus, tum demum liber abibis,
Nil ubi de prisco tollere more voles.

Anſere præpingui, toſtis & cornibus, horno
Inſuper implebis viſcera noſtra mero.

Caſparo Langnikel, & Magdalenæ Schramin Sponſis. An. 87. 10. Feb.

Quando animis annisq; pares junguntur amantes,
Vincla ligant fragiles non niſi morte thoros.
Diſſimiles verò, fatoq; vetante jugati,
Coniugij diſpar experiuntur onus.
Si boue cum vetulo veniat ſub aratra juvencus,
Ductus inæquali vomere ſulcus erit.
Sic tremulo ſi virgo ſeni, ſi frigida ephebo
Nubat anus, pariles hos in amore putem?
Antè lupis jungentur oves, miluisq; columbæ,
Quàm non ætatis vir mulierq; paris.
A conjungendo coniunx formantibus aptè
Dicitur, at coniux à ſubigente jugo.
Vos ergo cùm jungat hymen, cogatq; ſub æquum
Sponſe, pares ævo, caſtaq; Sponſa, jugum:
Fidite, qui validis hominum mala mole ſub una
Fert humeris, CHRISTVS quodq; leuabit onus.

Somnium ominoſum.

Somnia, quæ terrent, non omnia vana putanda,
Magdalis exemplo præmonet iſta ſuo.
Vix nova nupta foco per ſomnum aſtare, veruq;
Stridentē pulpam vertere, viſa ſibi eſt.
Dumq; calens ſtimulante fame, jam jam eſurit, aſſam
In ſubitas lapſam territa plorat aquas.

Even-

Euentum heu casus fert. Rus it ab Vrbe maritus,
Ac vertente ratem turbine fortè, perit.
Si formidasset sibi somnia dicta, domiq;
Hæsisset, poterat longiùs esse super.
,, Sed magis in vetitũ (proh) nitimur: ipsaq; fati
Inscia mens hominum, non sapienter agit.

Epitaphium Valentini Bencken, mortui Anno 87. April. 22. ætatis 67.

Subjacet ut sorti, quicquid rerum usq; videtur:
Sic rigidæ morti subjacet omnis homo.
Dives obit, pauperq;, puer, juvenisq;, senexq;:
At necis instantis quemlibet hora latet!
Si caussam vis nosse: Deus confidere fluxis
Te prohibens, tantùm quærere firma docet:
Desperare lares in casuro Orbe perennes,
Suspirare auidè gaudia certa poli.
Quis furor ergo opibus solis & honoribus omni
Conatu, exitium quæ duo sæpè, dari?
Felix ille, suas ævi memor hujus inertis,
Vnam quisquis opes ducit egentis opem.
Infelix contrà ille, DEI qui munere diues,
Sustinet, esca inopem deficiente mori.
Ista Valens quoq; largus opum meditatus, agebat
Ætatem, Genio deditus atq; DEO.
Propitia sibi sorte datas haud condidit arca,
Sed tribuit multis mente benignus, opes.

Et

Et lethi memor, agnouit, ditescere sese,
Sæpè laborantes si releuaret ope.
Annorum ergo satur, terræ resolubile corpus,
Seruatori animam reddidit ille DEO.

BRABIVM.

Cauponum BRESLÆ ampla tribus, tibi glande sclope-
Victori, ex auro hoc, Gráse, numisma damus. (ti

D. Georgio Sebisch Iurisco.

Dicatur Græca cùm voce GEORGIVS, isq́;
Sit, qui rura suis dulcia bobus arat.
Si fors quis caussam rogitas ignare, feratur
Ille vetustati cur cataphractus eques?
Accipe: Pax colit arua colit pax optima rerum:
Pax ubi, relligio, jura, bonumq́; vigent.
Admonet ergo sui officij regesq́; ducesq́;,
Tranquillæ memores ut bona pacis ament.
Atq; Hydram veluti jaculo transuerberat Heros,
Proq́; verecunda Virgine bella mouet:
Sic CHRISTI his seruandus honos, cœtusq́; piorum,
Qui magnum trepidæ Virginis instar habet.
Conspicuos unde esse decet pugnacibus armis,
Ausa tyrannorum queîs violenta premant.
Quàm nomen, Vir clare, tibi benè convenit istud,
Qui seruas quoq; non Marte, sed Arte reos.
Felici precor ista dies illuxerit ortu,
Natalesq́; pares candida mille ferat.

In sui fornacem Musæi.

Hic, ubi non ulla fornace prioribus annis,
Musa Magistrorum torpuit arcta gelu;
Nunc ego nunc fato meliore CALAGIVS usus,
Plus satis extructo membra calesco foco.
Ne mea Calliope justo magis algeat, Vrbis
Patribus acceptum quod ferat, omnis habet.

CORRECTIO.

Sic ego coccizans, pullos dum simplice matrix;
Grana regustatum, voce ciere paro.
Nec tacitus pascor (victus habiturus abundè,
Et minùs heu rixæ) solis inesco greges.
Quæq; mihi satis atq; meis simul omnibus, ab vix
Oscinis unius rostra petulca rigant.
Vos ita non vobis, mel apes, sub fronde volucres
Pignora, vellus oues fertis, aratra boues.

HYEMS.

Torpentes huc usq; hyemem tam sensimus acrem,
Cui similem nostri vix meminêre patres.
Bruma sed haud fuit ulla adeò indurata, remittens
Quæ non mollierit Vere tepente gelu.
Christicolas ita dives alat spes, assore certo
Certiùs ærumnæ finem aliquando suæ:
Atq; secuturam, si non hoc, attamen illo
Orbe voluptatem, perpetuumq; decus.

Annæ Filiæ, natæ Anno. 87. 17. Iul.

Primitias age, me sexus utriusq; satorum,
Quas collator habes, non reprehensus, habe.

Andreas

Andreas modò, qui superest, ô summe deorum,
Et, quam nunc donas, sit super Anna, precor.
,, Dulce, sinu charo latitare, vicesq́ per æquas
Concertare suo patris amore, duos.
,, Dulce, fovere sinu, per & oscula grata vicißim
Pectore complecti proximiore, duos.
Tertius, & quartus condiscet flectere laudes
Plurali numero, si datus ille, tuas.

Assultus Diaboli.

Quadrupliti ratione labat, si quando frequenti
Dæmonis assultu deyciatur homo.
Aut pronus procumbit: Id est, sorti incidit ægræ:
Aut resupinus: id est, in scelus omne ruit.
Aut latus in dextrum, somno securior omni:
Aut læuum, haud aliquem credulus esse DEVM.
Orent ergo pÿ, tentator ut ille facessat,
Cuius ab occulta fraude vel arte cadant.

Regulæ Facultatum parandarum.

Ditari quicunq́ bonis cupit omnibus auctus,
Hæc tria præcipuè mente tenenda putet.
Sit pius, & sacris postponat agenda, licebit
Iudicio longè commodiora suo.
Impensas reditusq́ suos examinet, ecquid
Prodigus absumat deside plura lucro.
Ac demum vitæ quæsita reponat in usus,
Demere (si sit opus) semper ut inde queat.

Illustr. Princ. ALEXANDRO Principi Slucen. & Copulen.

Cùm rudis herbarum nequeam ratione saluti,
O Princeps, alia consuluisse tuæ
Musarum interea fidus Phœbiq; sacerdos,
Mitia submisso pectore vota cano.
Hæc etenim percepta Dei magis auribus æquis,
Quàm fomenta, oleum, succus, & herba, valent.

M. Martino Langæo.

Cum tota te posco domo: emansisse caueto.
Quod comedam, dederis quid mihi, quæris? aues.

EIDEM.

Credidit ut pastor, magnæ quòd Mantua Romæ,
Haud unquam visæ, par sua parua foret.
Sic etiam deceptus ego, hanc errore nocente
Æqualem vestræ sum ratus esse scholæ.
Expertus nimiùm ista loquor. Nam crebriùs olim
Cornua Martini sunt mihi missa die.
Cornua nunc non ullus edo. Non ergo tremendus
Cùm non ulla geram cornua, mitis ero.
Attamen haud æquis habear ne prorsus inermis,
Tu Martine, precor, cornua mitte mihi.

Eidem ad Martinalia inuitanti.

Ne dubita, tuus hospes ero, cum pluribus umbris,
Coniuge, filiolo, filiolaq; meis.
Fac saltem, præstò sint, quæ Martinia poscunt
Sacra: duas horas perdere forte, libet.

Euoh

Evohe jam Martine, loco celebrande Bimatris,
Picta corymbiferi cornua verte Dei.
Funde merum, prius esse queat quod Nectare dulci:
Stetq; saginatus lance patente Gigag.
Iam stomacho latrante, cocum bellaria venter
Poscit, & immenso gurgite guttur hiat.

Eidem ad Andrealia invitato.

Si dape, solenniq; die Matralia quondam
Matribus Ausonijs fas agitare fuit.
Germani cur festa viri solennia, nostris
Observata piè prætereamus auis?
,, Non segnes decet esse viros in rebus agendis:
,, Odit frigentem bella puella virum.
Nominis ergo mei memor, indulgentibus astris,
Me præstare meo jure studebo virum.
Sed sua laus sordet. Cras gauisurus, Amicos
Ad festas epulas, sole cadente, voco.
At quales cum fratre Petro Piscator Amicis,
Fonte Genezaret hos suppeditante, dedit.
Quòd potis si fæce cadis tenus, uda jocosi
Defuerint Bacchi dona, bibemus aquam.

Matthæo Osthio. Ad eadem, Anno 87. Novemb. 30.

Andreæ sacrata dies, Hyperione cursum
Præcipitante, meæ lucis origo, redit.
Cujus septem hodiè quinquennia claudit, & annos
Tres: Reliquum verò fata DEVSq; regunt.

Quod felix utinam porrò mihi defluat, inq;
Laudibus æterni desinat omne DEI:
Pectore concordi Matthæe precabere mecum,
Hospes ad exiguæ dona vocate dapis.
Invida turba vale, rumpantur & ilia Codris:
Ostius & Langus vel gregis instar habent.

Iacobo Artzat, Patricio Vrat.

Vtramuis dormire reses dum vulgus in aurem,
Fatorumq; notas spernere signa, iuuat.
Assuetos studijs melioribus, omine certo
Sæpiùs admonitos, nos vigilare iuuet.
Nos positis vitijs vitam emendare nocentem,
Cœlestesq; minas extimuisse iuuet.
Ne pœnam fortasse DEO imponente paratam
Sontibus, insontes una ruina premat.
Nunc igitur totam Iani cùm mense per Vrbem
Alternis vicibus munera missa volent:
Ecce, iuuentutis flos præstantißime dudum
Patriciæ, fertur Strena, IACOBE, tibi.
Aurea sit, rogitas? Non: sed chartacea, quæ me,
Quæ te, quæ multos lecta beare potest.
Tu fac, quam spondent mores, bona mentis, honestas,
Vultus, & incessus, fronte fauente cape.

Paulo Holzbechero, Pauli Iurisc.
& Syndici Vrat. filio.

Si breuitas longos fructus tyronibus affert:
Ista ferent, breuius queis nihil esse potest:

Quæ

Quæ bonus HELVIGIVS docili mihi tradidit olim
Discipulo, atq; eadem nunc ego, Paule, tibi.
Est equidem res mira: Brevi vis corpore sæpè
,, *Vivida nervosa cum grauitate viget.*
,, *Ingentes verò virtus diffusa per artus,*
,, *Vndiq; ventosa cum leuitate, riget.*
,, *Implet amore sui, lucroq; est omne rotundum;*
Omne supervacuum perstrepit, omne nocet.
His igitur latebra elatis in luminis auras
Vtere, visurus plura, volente DEO.

Danieli Rindfleisch.

PAX ET BELLVM.

,, *Pace bona lætata, Ceres iuuat arua colendo:*
,, *Mars ope Bellonæ vastat & urit agros.*
,, *Alma Ceres segetes, oleum, mel, vinaq; gignit:*
,, *More suis Mauors turbidus omne ruit.*
,, *Serta Ceres gestans, campis spaciatur & hortis:*
,, *Horret, & incultis Mars ferus errat agris.*
Æstivare iuuat Cererem Iove subter aprico:
Martem hyemare gelu subter & imbre, iuuat.
Vel pluma, vel fronde Ceres, vel gramine dormit:
Mars utcunq; iacet corpore fusus humi.
Tecta Ceres habitanda struit pacalis ubiq;:
Condita Mars rapidus vertit, & æquat humo.
Rura, domos, urbesq; Ceres cultoribus implet:
Culta viris haurit Mars loca, rura, lares.
Rebus amica Ceres homines communibus auget;
Diripit aggestas Mars populator opes.

Dante vocat Cerere uda greges ad pabula pastor;
Morc lupi pecudes Mars rapit, atq; vorat.
Oppida inermis adit, Cerere indulgente, colonus;
Marte furente, suum cingitur ense latus.
Musica pace canit Cererem, Bacchumq;, Paleneq; :
Classica funesti Martis amore fremunt.
Pacis alumna Ceres docilem imbuit arte juventam:
Marte juuentutis flos, velut igne, perit.
Paciferæ Cereris stant tutæ munere leges :
At Martis furias inter & arma, silent.
Cum Cerere immunes pietasq; fidesq; vagantur;
Marte ciente acies, itur in omne nefas.
Pax Cereris soboles, mortales obliget una:
Sola truces teneat Martis imago feras.
Pax utinam nostris æterna repullulet oris:
Inq; suam Thracen Mars procul exul eat.

Illustrifs. Principi N. N. Arcani quiddam patefacit quidam.

Supra tercentum lustra, octogesimus ab ab
Annus & octavus mira quot iste vehit.
Tu quoq; miraris meritò, illustrißime Princeps:
Vt mireris enim res modò mira facit.
Auspicio felice dies venit ecce, tuamq;
Signifer irradiat, Stella benigna, domum.
Admirare precor, vultu stupefacte sereno,
Plenaq; sublimi gaudia mente fove.
Quòd si (ceu spero: nec enim casu aduolat) hospes
Non ingratus erit, Prodromus iste, tibi:

Iuno

Iuno brevi, Pallasq; deæ, haud sine munere largo,
Mercurium extrudent ad tua tecta suum.

In Leonhardi Krentzhemij Superattend. Lign. Symbolum.

Fata, Dei nutu tristissima, Vince ferendo:
Ne dubita, cupidus vincere, victor eris.

In Dauidis Fladen, Notarij Nouoforen. Pelicanum.

Vt pullis Niloțis auis vis rapta videndi,
Non nisi materno parta cruore redit:
Sic gens tota hominum peccati sordibus antè
Mortua, nunc vivit sanguine, Christe, tuo.

Langæo & Osthio.

Non sterili sub rupe, sed æstiuare sub umbra
Hippandri, aut ubivis gramine cunq; iuuat.
At solum piget esse: Nocent loca sola petenti:
Sola melancholicos quis loca ferre, neget?
Ergo facundi comites, lepidiq; Sodales,
Osthius & Langus sint precor ambo mihi.

PATRI FILIOLOQ. Martinis Langæis, affinib. chariss.

Martinis necto geminis, natoq; patriq;
Vincula, solenni dissoluenda modo.
Quis modus iste, rogas? Haud macri abdominis anser,
Cornua conviuis danda, nouumq; merum.

M. Iohanni Clodvvigio, & Brigittæ Vateræ Sponsis 30. Novemb. Anno 88.

Non malè coniugij finem esse fatemur, adoptet
Instrumenta suæ laudis ut inde DEVS.
Vtq́; pij cœtus sensim incrementa parando,
Impletura polum germina, semper alat.
Detestatur enim flammas errantis amoris,
Legitimiq́; thori iura pudica probat.
Ergo Sacerdotis solennia vota, nouorum
Facta maritorum nomine, nostra juuent.
Summe DEVS, sociam addis Adæ qui pronubus Evam,
Omnibus & comitem casibus ire jubes.
Pectora qui nunc ista duo, qui corpora jungis,
Fac, tua syncera numina mente colant.
Fac, dubium fortuna licet tristißima vultum
Contrahat, amborum ne violetur amor.
Sancta fidem, fac, vita probet: Fac, floreat auctus,
Instar olivarum, prole frequente thorus.
Caussa boni, fac, læta domum concordia cingat;
Fac, tener aßiduo luceat igne focus.
Fac, morbis procul ut prosperrima defluat ætas;
Nec nisi grandævos fata beata vocent.

LANGAEO.

Festa celebraturus Ego natalia, paucos
Convivas hodiè, Sole cadente, voco.

Cur

Cur paucos, inquis? Metuo, ne forsitan ora
Absumant tenuem plura rogata penum.

Scholæ Magdaleæ discipulis.

Nolo alium emittenda sibi quemcunq; patronum
Ista Iuventuti carmina facta, parent.
Magnos magna iuuent & sesquipedalia: paruis
Cum nuda breuitas simplicitate placet.

IN IVDITHAE Filiæ D. Caspar. Pakisch. effigiem.

Qualis erat, tumidi deuotum Holofernis acuto
Meraris incidens fortiter ense caput.
Talis es, insigni quæ nomine diceris eius:
Nec nisi discernit vos nota sola duas.
Quattuor illa ferè messes fuit orba marito:
Tu sed adhuc socijs intemerata thoris.
Vtraq; longè Helena prior, ingeniosa, fidelis,
Blanda, diserta, pudens, & pietatis amans.
O nimiùm, quemcunq; virum dignabere, felix:
Ille bonam Venerem spernet, amore tui.

Amicis Strenam mittens Anno ineunte 89.

Annua cognatam dum Iani mense per Vrbem
Munera nunc ultrò missa citroq; volant.
Non habeo charis aurum missurus Amicis;
Quæ compono tamen carmina, dona fero.
His precor intereà contenti vivite. Quando
Aut fati, aut vestro munere, dives ero:

Non

Non adeò crebros piperisq́; croci q́; cucullos,
Sed quæ vulgus amat, publica dona dabo.

Leob. Effigies Esaiæ Heidenreich, Theologiæ Doctoris, & Ecclesiæ ad D. Elizabeth Vrat. in annum 21. Pastoris, An. 89. 26. April. mortui.

Esaiæ Heidrichij est, coràm quam cernis, imago
Vivida, confeßi voce styloq́; DEVM.
Nascenti LEOBerga *dedit cunabula, vita*
Defuncto tumuli BRESLA *quieta torum.*

Casparo Hippandro ad S. S. Diacono,

Langæus salibus bonus, atq́; Calagius, isto
Vespere inutiliter tempus abire volunt.
Sed quis ijs hilarem dabit æstiuantibus umbram?
Vmbra erit, à forti nomen adeptus equo.

In Genethliacon, recens nato Principi BREGEN. decantatum, ab Isaaco Prætorio Stetinensi.

Musica grata DEO *est, terris vocalis, & astris,*
Cur non sit tenero Musica grata Duci?

DIVO IMPERATORI.

Sis mihi, non precor Augustus, sed Pollio tantùm:
Virgilius fuero, Diue RODVL*phe, tibi.*
At certè Augustus. Nec enim te augustior ullus,
Consilioq́; prior, maxima sceptra tenet.

Danieli

Danieli Cæsari, itineris Pragensis comiti. In Actæonem.

Qui nimiùm, dives plerunq; indulget amicis,
Sæpè canum veluti morsibus, ille perit.

Erasmo Filiolo, Nato pridiè reditus, ex itinere Pragen. 19. Oct. An. 89.

Dum vitæ tu limen inis, ego Cæsaris aulam:
Tu Baptisma sacrum, me redeunte, capis.
Ominor, an fallor? Sed & omina sæpè paterna
Nouimus euentu pondus habere suum.
Fratre tuo tu major eris (te majoris ortu
Sit licet) atq; alacris tecta sequere Ducum.
Quem te cunq; Deus volet, à virtute nec vnguem
Vel latum patria degenerare, velit.

Insignia Danielis Prinzen, à Buchavv, Sacræ Cæs. Majest. Consiliarij, Comitis Pal. &c. Leob.

Quid Clypei, Vir magne, tui signare Leonem,
Cernendum specie versicolore, rear?
Quidq; decussatim flagranti lumine nexas,
Quadrifidasq;, putem significare faces?
Fax ardens, ardentem animum virtutis amore,
Seq; procul vitijs exeruisse, notat.
Versicolore Leo spectandus imagine, prorsus
Exprimit ingenij dona tot ampla tui.
Vix aliquid meliùs decorare Insignia posset
Hæc tua, ni forsan mens tua picta foret.

Te vir-

Te virtus, te summa polo experientia rerum
Tollit, & illustri nomine fama vehit.
Ergo dijs meritò, fatisq; fauentibus ultrò,
Vtere, & immensum lampadis instar habe.
Quodq; suis Daniel Chaldæis, ille Propheta,
AVSTRIacis hoc tu Regibus esto diu.

EIVSDEm SYMBOLVM,
Durat & lucet Virtus.

Durat, & æternùm lucet clarißima Virtus.

M. LANGAEO.

Non rigidi ferri, sed mitis fortia verbi
Bellatori Equiti vincula necto Pedes.
Martini si nomen habes, si forsitan omen,
Andreæ dignum munus utroq; dabis.
Ansere cum pingui, è calido modò dempta camino
Cornua, quodq; tulit Crosnia terra, merum.

VRATISLAVIA.

Quàm benè, quàm fatis Vrbes, ô BRESLA, Silesias
Inter, honoratum tollis ad astra caput.
Quàm benè, quàm multis, non nostris urbibus, extus,
Atq; celebratum nomen ab Orbe geris.
Vnde venit tibi tantus honos? clarißimus unde
Splendor? & unde tuo gloria nota polo?
Nempe tibi DEVS ipse fauet, fauet ipse Rodulphus
Cæsar, & aspectam diligit omnis homo.
Aurea libertas, pax aurea, lapsaq; cœlo
Iusticia assumpta relligione, beant.

O uti-

O utinam longùm ista beent te cuncta, nec unquam
Ulla tuæ sortis turbet Erinnys iter.
Bella crepent aliæ totis regionibus urbes,
Alterius casus altera semper amet:
Tu studys, tu pace potens, tu BRESLA, timore
Numinis, Vrbs dici tu mereare DEI.

In ejusdem Archetypum.

Turribus & templis, domibus, serieq; decenti
BRESLA platearum conspicienda pates.
Queis alias inter tantum caput exeris Vrbes,
Quantum humiles inter fraxinus alta rubos.
At maior tibi surgit honos pace, artibus, æquo,
Iure, pudore, metu, relligione, fide.
His utinam florere, ruat dum machina mundi,
Qui dat cuncta, Deus det tibi, Marte procul.

ALIVD.

Optima pax rerum; mortali nosse datarum,
Marte procul pulso, commoda quanta parit!
Tecta struit, vasta arua colit, connubia sancit,
Vulgus & impositis legibus omne regit.
Artibus ac linguis diuina oracla propagat,
Auctoriq; canit debita vota DEO.
Huc quibus usq; viges, vigeas quoq; posteà, BRESLA,
Tectis, messe, thoris, jure, Deiq; metu.

In Ioachimi Georgij I. C. Insignia.

Propria Virtutis, generisq; Insignia magni,
Iure tuo clarus, quæ IOACHIMVS habet:

Dic mihi, Diva Themis, dic denotet ille volucris
Atq; coronatus quid Leo, quidq; Trabes.
Et valida Cataphractus hydram qui transfigit hasta
Sic ego: Sic contra rettulit alma Themis.
Auratæ, geminæq; Trabes, nigrantis in umbra
Planicie, Iuris sunt utriusq; notæ.
Quo, nigri sed correcti quid habente rigoris,
Qui fruitur, veluti fasq; piumq; monent:
Fit, sese pennis per inania nubila librans,
Viq; viam inveniens, quâ via nulla, Leo.
At loca fortè tenens vicina Georgius heros
Vult, comes ut Iuri sit pietatis amor.
Quo quasi remigio alarum meus omnis alumnus
Occupet hæc, fortis quæ loca Miles habet.
Scilicet Elysij nivea arva, ubi debita Victor
Præmia, justitiæ florida serta feret.

Magnifico Viro, N. N. Consil. Cæs.

Quæ mihi præstiteris Vir præstantißime, centum
Si mihi sint linguæ, non memorâro satis.
Pauca loquar: Quòd me, Divûm de stirpe Rodulphus,
Vatem CÆSAR amet, suspiciatq;, facis.
Atq; meo, haud temerè cuiuis imposta, quòd idem
Imponat capiti laurea serta, facis.
Addat & indulgens Insignia clara quòd Idem,
Præmia virtutis splendidiora, facis.
Pollio quod docto fuit optimus ille Maroni,
Illud idem, Salomon, tu potes esse mihi.

Esto, quod esse potes, quæso: Fueroq́; sit autem
Pace tua dictum summe Poëta, Maro.

Magnif. Viro Simoni Hanvvald, in Roten Sirben, &c.

Magni magna queunt: Magnos obtester oportet,
Si mihi non dubitem poscere magna, uiros.
Magnum magna tuum Generum, Vir magne, poposci;
Nec satis, illa eadem poscere cogor adhuc.
Vt verò virtus vnita est fortior: Vna
Sic Soceri & Generi gratia maior erit.
Quid stantem in portu cessas detrudere nauem?
Quod potes, audaces Æolus adde Notos.
Ac mea cymba, priùs fluuijs assueta, triremis
Facta, per æquoreas ire parabit aquas.

Reuerendiss. Principi, Andreæ, Episcopo Vratisl. &c.

Præsulis Andreæ submisso polite celsas
Andreas humilis pulso poëta fores,
Admittiq́; nouum portans Opus, ora virorum
Docta moraturum, supplice voce rogo,
Pande tuas aures inopi, ditissime Præsul,
Et facilem infracto porrige quæso manum.
Maxima perpetuo uirtutis amore secutum,
Iamq́; vacillantem spe titubante, leua.
Parnasi liceat summum conscendere culmen,
Succiduos etiam te moderante gradus.

Stansq́ ego, non vlli numerosa laude tuorum
Inferior vatum, te ueneratus, ero.

Nobili Viro N. N.

Accipe Mecoenas, & Compater optime, magni
Quod tibi sacratum dono laboris, Opus.
Quoq́ soles, hæc orsa vide nascentia, vultu,
Captaq́ speratæ laudis amore, foue.
Tempus erit, quo, si qua modò est ventura, vetustas,
Non citra inuidiam nomina nostra leget.

Paulo Holtzbecheri Filio.

Congestum magno studio, magnoq́ labore;
Hoc tibi discipulo dono magister Opus.
Quod si nocturna, quod si versare diurna
Perstiteris dextra, Paule, magister eris.

D. Laurentio Scholzio.

Fronte bona, bonus ipse, bonum precor accipe Fautor
Istud Opus, Musis non inimice meis.
Quaq́ potes me deinde tuum ratione, medendi
Arte Machaonia clare, iuuare, iuua.

Symbolum Ioan. Breithor, Lubecenens. ex Ecclesiast. 7.

Dixero prudentem, qui fine nouissima pendit,
Quodq́ agit, ad numeros exigit omne suos:
Dixero felicem: Siquidem petulantibus ausis
Ipse sibi nunquam caussa ruboris erit.

In

In idem.

Finis agendorum si cuiq; videndus, vt iræ
Vindicis addamus non ita sæpè, Dei:
Quis furor, in vetitum niti, peccare scientes
Semper, & ingenio spontè perire suo?
„ At proprij exitij ardet homo modò perdat, amore:
Heu miserum, tanti quem iuuat, esse reum.
Huic instat, post fata mali si creditis, instat
Vita alia; & factis præmia digna suis.
Vos omni vos pœna manet moderamine maior:
Nec minor, aut breuior fructus, honosq; pios.

Danieli Engelhart, in Corofcavv.

Quale sub Augusto fuit olim Cæsare seclum:
Tale etiam istius temporis esse, puto.
Vt tunc Parnasi viguère in culmine Musæ:
Sic modò vix, vltrà quò gradiantur, habent.
At veluti paulò pòst conticuère sepultæ,
Magnaq; barbaries inde secuta fuit: tant)
Sic nimiùm, ah nimiùm (procul ô quod numina ver-
Barbariem nostris ars quoq; spreta, feret.
Fiat id vt nondum, similes neu simus aprorum,
Artis amans Daniel Aonidumq;, caues.

Magnif. Ian à Kochtitz in Lublinetz, Consil. Cæs.

O infelices hac tempestate poëtas,
Quid nos in studijs multa mouere iuuat?

Nullus honor nostros usquam, non vlla laboris
Munera, virtuti debita iure, manent.
Nunc meliùs forsan fuerat, quàm scribere libros,
Ocia securus desidiosa sequi.
Vix puto, vix vnquam tantum labor optime Vatum,
Nunc quantum uulgi sub pede presse iacet.
Est ea jamdudum postremi iniuria secli,
Nunc nihil, indignas præter, amantis opes.
Ac nisi paucorum, Musas complexa, resistat
Cura, bonas artes vna ruina premat.
In numero illorum, Vir præstantißime, clarum
Tu quoq;, KOCHTIZKI, nomen habere potes,
Ergo tibi meritò debentur præmia laudum,
Præmia non vllo præteritura die.

Barbaræ, Filiolæ Elizæi Stockelij, Pharmac. Glacen. fato functæ, 90. 18. Martij.

Cùm vocet ad sese teneros Saluator alumnos,
Hisq; decet superi propria regna poli:
Inuideat quis ijs Conuexa? quis aspera demens
Apparet in iustum dicere uerba Deum?
Ille dat, ille suo nutu mellita receptat
Pignora: Ob hoc sit ei gloria, laus, & honor.

M. Langæo.

Sunt mihi barbati, non ære, sed ære parati:
Hos quarta mecum si cupis esse, veni.

Tertius accedet Paulus, conuiua vocatus,
Cæsaris ex aula quando reuersus erit.

Adamo Lucken, Discipulo.

Ne tibi, ne multis sit opus lectissima totos
Verba poëtarum quærere fortè dies:
Dudum ego quæsiui, quanto vix arbitror ausu
Et studio quisquam quærere deinde potest.
Cura, laborq́ue meus, fructus tuus. Ergo volenti
Vberis æstatis munera carpe manu.

Nobili Viro N. N.

Artes ingenuæ merito quod alantur honori,
Quòd iaceant, spretæ, res facit ipsa fidem.
Non opus exemplis. Audentem magna, sub ictu
Sors rerum melior me quoq; sæpè fugit.
Omnes penè Libro donato (publica præter)
Munera priuatim certa dedêre meo.
Tu caput ipsorum, studijs exculte, Camoenas
Sustentare tuo perge fauore meas.
Adijce pro libitu modicum prædiues egenti
Compater, ô veri patris habende loco.
Haud aliquid minuetur opum mensura tuarum,
Cedet egestati firma columna meæ.

Alij.

Plures, tu quorum non vltimus inter haberis,
Vir præclare, Libro dona tulêre meo.
Ipse bonæ non artis egens, qui perspicis vsum,
Tu quoq; de gazis adijce parua tuis.

Granum constructus demptum non sentit aceruus,
Hoc formica tamen pascitur, ægra fame.

Epitaph. Balthasaris Pausevvang, Leoberg.

Balthasar hac tumuli Pausuangus sede quiescit,
Slesias eductum quem Leoberga tulit.
Qui cælebs, hæsit placidè in mediocribus, æui
Tempora partitus cum genio atq; Deo.

Magnifico Viro, Friderico à Zedlitz, in Mertzdorf, &c. Terræmotum dedicat.

Formandæ quamuis tradam præcepta iuuentæ,
Vt mihi nil reliqui temporis esse queat:
Monstra tamen miranda Dei transire silendo,
Ceu ventosa, nefas grandius esse, reor.
„ Dormiat vtramuis ignobile vulgus in aurem:
Arrectis oculis nos vigilare, decet.
Intereà satis esto, sequi fastigia rerum,
Quando minùs cedro scribere digna, licet.
Torpuerat mea vena ferè torrentibus hausta,
Sed, Vir clare, tuo plena liquore, salit.
Ne nimio arescat vel frigore læsa, vel æstu,
Pierij prohibe spesq; decusq; chori.

Andreæ Butnero, Iuniori.

Andreas, orto Andreæ esto, ipse ligandus,
Dilecto Andreæ vincula chara paro.

Sis,

Scis, ea quid sibi fortè velint? Constanter amicis
Poscimur assuetas, annua liba, dapes.
Vix ego contentis vilißima fercula, pisces
Piscator modicos pauper, aquamq́ dabo.
Tu verò locuples, mensis cum diuite lautas
Nectare murenas apposuisse potes.
Ergo diem Genio sacremus, & ista, precemur,
Vt redeat nobis sæpè secunda, Deum.
Addat & innumeros annos reuoluta Parenti,
Hippocratis digno vincere fata, tuo.
Quid? remeans eadem te factum exopto maritum
Cernat, & haud dubium spe propiore patrem.
Vincula cui nectant alternis, vxor, & infans,
Iniecti collo brachia blanda tuo.
Vota mouent superos. Vt ijs respondeat omen,
Non Diuum Andream, sed rogitato Deum.

In M. Martini Mylij Symbolum atq; Insignia.

Sic fulgebunt, qui ad virtutem erudiunt multos.

Quid stellæ, quid Myli elementa, quid area campi,
Quid docet in clypeo forma triquetra tuo?
Hoc docet. Vt certans alijs fulgore, tenendum
Nocte, viatori stella ministrat iter:
Vt sine litterulis homo mors est tristis, & ingens
In cernente diem, funeris instar habet:

Recta superficiem veluti sua linea planam
Æquat, & extremis constat ubiq; suis:
Vtq; bonæ Cereri gratissima, postulat vsus
Quas humanus, opes terra Triquetra parit:
Sic tua primæuæ pandit cultura iuuentæ
Virtutis radians atq; salutis iter.
Corpora sic animas tu cassa uigore Prometheus
Æthereo, ipse poli grande future decus.
Sic citra labem, es totus teres atq; rotundus,
Et tua stat numeris integra vita suis.
Sic demum fœcundo animo, linguaq; triformi
Grata Deo atq; homini dicis agisq; simul.
Viue, doce, forma, splende, securus & insons:
Vix melior (testor numina) te vir erit.

D. Paulo Holtzbechero, Syndic.

Dum malesuada fames, dum brumæ iniuria durat,
Frigeo cum natis esurioq; meis.
Tu rerum locuples, Vir præstantissime, aceruo
E magno modicum diuide quæso mihi.
Non precor hoc gratis. Precium, modò vilius, addam,
Quàm petit in magno rustica turba foro.
Annonæ modios tantum sex oro: medimnos
Tot tibi det, pensat qui benefacta, Deus.

Carolo, Generosi Sigismundi à Zedlitz, in Neukirch. Filio.

Quam Pater AVGVSTO Gallinam misit, eandem
Optime flos iuuenum, CAROLE, reddo tibi.

Non plumas cum carne: Sed hanc, quam forsitan ætas
Depictam propero carmine sera sciet.
Accipe fabellam, quæ non vanißima, longè
Pellignas inter poßit habere locum.
„ Vatibus audendi quiduis fuit æqua potestas
Semper, & historica texere ficta fide,
Namq; referta iocis irritant talia segnes,
Et memori meliùs mente reposta manent.
Sic ego mira cano, sed non tamen omnia fingo:
Gratia quò rebus maior inesse queat.
Quòd si re cognôro, mihi cœlo ire videbor,
Hæc mea non prorsus displicuisse tibi.

Memoriæ M. & Poetæ Regij, Samuelis VVolfij, Hirsberg. Secret. Elbing. Qui in itinere Culmam versus, acutiss. Febri 18. Iun. An. 91. correptus, tertio pòst die, 9. intra matutinam & 10. Meuiæ Borussorum expirauit, ætatis suæ an. 42.

Ah sæuam nimiùm, quæ te, mihi chare coæuum,
Præcipiti, SAMVEL, stamine, Parca rapit.
Annorum fueras vix quinq; maritus; & vno
Auctus eras nato, nomen habente tuum.
Vix ab vix misero formandæ è puluere pubis,
Altiùs extuleras ad meliora caput.
Quod, pulchræ virtutis amans & carmina, lauro
Rex STEPHANVS paulò cinxerat antè tibi.

Secretis ELBINGA suis acciuerat & vix
Te, dignùm: & fuerat iam tibi partus honor,
Cùm messem pubente tuam quæ stabat in herba,
Præproperæ mortis falx inopina metit.
Ac triduo (vis tanta fuit morbi) arida febris,
Ceu nitidi floris, decurit omne decus.
Tuq; tuo Vati veniens nec Apollo, nec vllam
Pierides medico gramine fertis opem?
O vestro ingratos, tantæ virtutis, alumno,
O mihi, qui parili vos pietate colo.
Nunc serò tumulum folijs & versibus omnes
Ornate: Is fatis esto iacentis honos.

M. Melchiori Tilesio, Iudi Bregen. Rectori.

Laude quidem dignus fuerat maiore, Tilesi,
VVolfius, extinctum quem cecinisse iubes.
Et nimiùm fortasse mihi tribuisse videris,
Quòd meus angusto tramite currat equus.
At labor immensus, casusq; domesticus obstat:
Quæq; alijs prodest laus, mihi forsan obest.
Præco sui fuit ipse bonus. Post vltima credas
Funera sat laudis, qui benè vixit, habet.

Marthæ tertiæ, Filiolæ. Annó 91. natæ. 12. Oct.

Dum genitas iterum, atq; iterum desidero raptas,
Quæ solitæ nomen Matris habere, duas:

Tertia tu prodis. Numero cùm gaudeat illo,
Te bonus incolumem iusserit esse, Deus.
Esto, precor: dicarq; pater non vnius, illam
Siue marem sobolem, fœmineamuè creem.
Vtraq; grata mihi. Nec enim hoc priuata, vel illo
In sexu, iustum fata reposco Deum.

Dulciſs. Patriæ, & in hac Ampliſs. Senatui, Phraſium Poëticar. dedicatio.

Hanc quoq; conatus (ea si qua est gloria) partem
Suscipe materna, PATRIA, fronte mei.
Haud petitur modò fama mihi, quæ nempe Poëtis
Sola solet, multis insidiosa, peti:
Sed tibi duntaxat (non auersabere) nomen
Quæritur, & seræ posteritatis honos.
Ex te dum celebri celebris satis, edo virorum
Detenturum oculos oraq; docta, Librum.
Impubi nec enim tantummodò seruiet æuo:
Seruiet ausuris carmina fortè viris.
Non quæ vulgus amat, folijs leuiora caducis:
Sed quæ mole sua stantia, robur habent.
Ergo mihi priuatus adhuc, pòst publicus vsu,
Euolet auspicijs, quò volet, ille tuis.
Atq; teri manibus simul & mereatur amari,
Non noua, sed Veterum qui docet ore loqui.

Fallor, an autori nimiùm mihi blandior ipsi?
Ante sui similes efferet ille caput.
Vt tu non paucis alijs procul Vrbibus extas.
Dij faciant, vigeas PATRIA, seruer Ego.

Reip. Gorlicen. μνημόσυνον iuris hospitij relictum à redituro ad suos, 23. Ian. 92.

GORLICIVM, si fortè roger, quid denotet inquam
In medio Clypei fixa Corona tui?
Quid Leo, quid Iouis alterna statione volucris,
Hinc humeris tangens, hinc Diadema pede?
Area quid spacijs metata æqualibus ingens?
Quid quater in Capitis Linea ducta Decus?
Et demum passis in Casside tertius alis,
Vmbram præclustrem sufficiente, Leo?
Excideret vox ista mihi: Sua vincula, neruos
Quælibet Vrbs habeat, non ruitura, suos.
Virtutem & robur ratio & sapientia flectat,
Ne peccent, animæ prodiga, mole sua.
Ciuis amet spectetq́ Patres: Patresq́ vicissim
Auxilio Ciuem consilioq́ regant.
Iura, fides, pietas, moresq́, pudorq́ colantur:
Sint decreta bonis præmia, pœna malis.
Deniq́ membrorum concors ac iustus vbiq́,
Qualiter humani corporis, ordo sonet.
Sic muro stabit Respublica firmior omni,
Et latè extendet brachia, pacis ope.

Qua

Quæ te, quæq; meam Patriam, quæ cuncta, RVdolpho
Sub rerum Domino, longior opto tegat.

In Gregorij Krengel Musici Iconem.

Effigiem pictura quidem, præclare virorum,
Instar habens viuæ, reddidit ista tuam.
Sed fidibus quàm dulce canas, non Cous Apelles
Pinxerit, aut mira finxerit arte Myron.
Orphea, qui traxisse feras & saxa putatur,
Te meliùs, dubito, personuisse lyra.

M. Martino Mylio an. 92. 13. Ian. Gorlicij.

In vestram veni Vates Ignobilis vrbem:
E vestra redeo Nobilis vrbe domum.
Vnde Myli rogitas? Virtus non omnibus oris
Exulat: Interdum maior ab hoste redit.
At nunc nobilitas, inquis, non conscia virtus,
Sed patrij villæ si tibi mille soli.
Haud ignoro. Sed auersor rude vulgus & odi:
Villas flamma uorat, nomen honosq; vigent.
Me virtus & fama, lucri iuuet ardor auarum,
Dum modò non aliquod nomen ab orbe ferat.

In D. Bartholomæi Schvvalbij à G. Medici Insignia.

Nobilitatis vt Arma videns ignobile vulgus,
Bos velut, ignorat, quid sibi picta velint.

Ignarumq;

Ignarumq́; rei maioris, imagine tantùm
Inuolucris tecta gaudet, biansq́; stupet.
Sic virtutis amans, virtuti insignia nouit
Debita, & immensum calcar ad alta putat.
Quid tua spectando, Vir, docte potentibus herbis
Tollere morbum, aliud significare, rear?
Fusca caput pexum, & sacrum diadema superstans,
Abdita quæ pennis brachia Virgo mouet:
Est liquidus nocturni olei, integritatis, honoris,
Virtutis, decoris, mundiciæq́; typus.
Arguta, inualida quæ vite minurrit, Hirundo,
Ingenium solers & bona pacis habet.
Ac demum spacijs quæ Scacchia lucet & albis
Et nigris, fraudum pectus inane notat.
Te, precor, ob dotes istas, & ob Arma, Rodulphus
Cæsar, & omnis Eques Cæsarianus amet.

In Effigiem Reuerendiss. principis, ANDREAE, Episcopi Vratisl. &c.

Sueuorum Vrbs Rudlinga vetus, quæ mitia corâm
Aspicis Andreæ Præsulis ora, tulit.
Multa puer perpessus is est. Dum sacra coherti
Helueticæ, Romæ dogmata Præco dedit.
Inde Sacerdotum, quos Breslæ alit Insula, turbæ
Additus, exeruit maius ad astra caput.
Perq́; gradus Canonum seruato vt ordine, donec
Sorte crearetur Præsul in æde Deo.

Sextus

Sextus hic est annus, tanto qui pondere pressum
Vrget agendorum, multaq́ ferre vocat.
Quas non, officium numerans, studiumq́, fidemq́
Austriacæ domus, pertulit ille vias?
Legatum quoties regnis super ire ligandis
Fœdere, Læchiadúm proxima vidit humus?
Musis tecta struit: cœtus alit: excitat aras
Argento solidas: Aurea sacra litat.
Et recti custos, nec cui virtute secundus,
Omnia se tanto Principe digna gerit.

In IIII. Theologorum Icones, quas Iohan. & Christoph. Vateri, Bibliothecæ ad D. Mar. Magdalenam consecrârunt, An. 1592.

Doctorum effigies, huic templo alicuius honoris
Dona Valentinus vouerat ista Vater.
Nominis hæredes, promissa paterna Iohannes
Christophorusq́, sacrum constituêre decus.

Repurgatæ Doctrinæ, & Ecclesiæ huius fideles Ministri ac Pastores:

D. IOHANNES HESSVS.

Primus in hac annos viginti tres dedit HESSVS
Æde repurgato pabula sacra Gregi.
Vir, quo vix quisquam fandi arte peritior vnquam,
Flectere discordes relligione super.

M. Adamus Curæus.

Alter ab hoc, non ore minor, non pectore, Cœtum
Mensibus erudijt quattuor atq́ decem. Frey

Freistadij natus, vitæ numerauit aristas
Triginta & ter tres febre metente, suæ.

Dn. Lucas Pollio.

Tertius inde, loco duntaxat, POLLIO nostras,
Dotibus expreßit mentis vtrunq; suis.
Annos octo decemq; docens, vitæ ægra peregit
Lustra (tribus demptis meßibus) octo suæ.

D. Iohan Fleischer.

Quartus FLEIScherus, noster quoq;, nuper in illa
Ex hac translatus Patribus æde, docet.
Ac duplici (dum fata volunt) secat alta sagacis
Luminis astra, Dei Verba sed artis ope.

Laurentio Scholzio, Med. D.

Insignes alas ut latiùs explicet Horti
Fama, Machaonia clare Vir arte, tui.
Non modò quem mirè pinxit dea Flora tot herbis,
Æmula naturæ sed quoq; docta manus.
Illarum ut numerum pariter Ciuisq;, frequensq;
Aduena, cum veris optet habere Typis.
Quos nouus, ad viuum pictos, HERBARIVS, aptus
Vsibus humanis, exhibet ille tuus.
Carmen odoriferis distinctum floribus, instar
Indicis hoc certi, mitto per ora virûm.
Non artis, sed molis opus tentaße videbor:
Quid? decori neruis incubuisse iuuat.
Quæ sequerer, non vlla habui uestigia: Eundum
Rupis inaccessæ calle latente fuit.

Et via per salebras quærenda, per invia saxa:
    Donec in excelsa verticis arce steti.
Sic puto perfregit summas ferus Annibal Alpes:
    Sic forti Alcidæ monstra subacta, puto.
Eurystheus ratione mihi tu crederis ista:
    Nam mandare tuum, iussa subire, meum est.
Gaudeo, si laudem merear virtutis: iniquo
    Si castigantum saucior ore, fero.
Fortaßis meliora darem, mihi si quis amicus
    Ocia Mecœnas Virgiliana daret.
Sed modò Ius comitatur honor: Vos gaza: Poëtas
    Cum grege Grammatico res premit arcta domi.

In Iconem eiusdem.

Pube tenus Venerem qui pictam liquit, Apellis
    Nulla vetustati est æmula visa manus.
Nulla mihi, celebris LAVrenti, dextera visa est,
    Quæ faciem tanta pinxerit arte tuam.
Ingenium studiumq; tuum si fingere posset,
    Posset ea certè doctius esse nihil.

In Eiusdem Insignia.

Non sine re gerit, arma gerens. Virtutis amandæ
    Instar ea, & veræ Nobilitatis habent.
Vt, quæ sunt summa, Ala petit: Sic ardua, Virtus.
    Sic Recti studium, ceu Rosa flaua, nitet.
Vt Trigonus quiddam perfectum: ita Candor apertus.
    Hæc tria quem decorant, nobilis esse potest.

In Charitatem, Eidem donatam à D. Casparo Pakysch.

Optime synceri speciem Casparus amoris
Hanc tibi, Laurenti, victus amore, fero.

Nuptijs Davidis Pinderi, Pharmacopæi: Ac Magdalenæ, Iohannis Ering Viduæ: 29. Sept. An. 92.

Si fato fieri connubia credimus: Illo
Constitui, DAVID, quis tua docte, neget?
Sic equidem stat fixa Deo sententia, Sponsi
Vt duo sint vnum corpus, & vna caro.
Fœmina, Virq; thori iungantur fœdere firmo:
Ne, quò quemq; trahit cæca libido, ruat.
Nec refert, ætate pares formaq; coire
Semper: Opus sanxit quod Deus ipse, fouet.
„ Sæpè grauis Matrona leui anteferenda Puellæ;
„ Sæpè senescenti Virgo iuganda viro est.
Dummodò certa fides, dum par sit vtrinq; voluntas,
„ Æuo disparibus non malè fertur onus.
Nec malè inæquales submittunt colla iuuenci:
Aruorumq; rudem maior arare docet.
Discordes solùm facit esse, coacta voluntas,
Et captata thori vincula, propter opes.
Vnanimes conseruat amor, conseruat honestas,
Ac iurata semel firma tenaxq; fides.
Ante oculos pietas, & lex diuina vagantur,
Mensq; pudicitiæ dedita, lite procul.

Quando

Quando ergo hæc etiam Vos nomine & omine iungunt
 Fata, thoro vestro candidiora precor.
Exigite indultos vitæ concorditer annos:
 Dulcis honestatis semper amate decus.
Cætera commendate Deo: Partu antè potentem,
 Qui Matrem parui Dauidis esse, dabit.
Hocq́ velut vinclo, præcordia vestra ligabit,
 Vna sit vt Vobis mens, sit & vnus amor.

Memoriæ Ambrosij Fritsch Typographi Gorlicen. mortui An. 93. 5. Decemb.

Qualia, quotq́ vagus, Cerere indulgente, per Orbem
 Publica Triptolemus semina sparsit agris.
Talia, totq́ loco præclara Volumina fixus,
 Ambrosius terris omnibus iste dedit.
Debuerant data stare suis si nomina rebus,
 Iste vel æternùm vivere, dignus erat.
Vt, superant quæ fortè, foràs bona scripta dedisset:
 Nunc simul in tenebris semisepulta, iacent.
Optârim ætbereæ artis eum propiora tulissent
 Artibus autorem secula prisca virum.
Quæq́ suis olim sunt vecta volumina plaustris,
 Hoc cogente typis, verteret vna manus.
Vt quondam immensum nux Indica cepit Homerum,
 Grande vetustati, scilicet, artis opus.
Quid, superi, posset librorum extare bonorum,
 Quod frustrà querimur nocte, situq́ premi.

Et quid, Aristarche excipias, extare malorum
Posset? At istius sedulitate, nego.
Vana iuuent alios, & quæstum auctura, magistros:
Excusum iste typus nil, nisi dulce, dedit.
Ergo merum quod nomen ei fortassè negauit,
Non negat insigni notus ab arte labor.
Ambrosiusq; suis Fritsch immortalis in Orbem
Codicibus Nectar stillat, & Ambrosiam.

Hieremiæ Filiolo, Fraunstadij nato. 94. 10. Feb.

Vnde vices? Modò nata mihi, modò natus, amoenum
Luminis haud sterili coniuge, limen init.
O ineat precor iste frequens, precor illa: meosq;
Et minor & maior cursitet ante pedes.

Eidem ibidem vita functo. 18. Aug.

Oranti renuit partem Deus, annuit idem,
Dum negat hos, illos dum superesse, iubet.
Nos tellure, alia ex alijs in fata vocamur:
Tu puer excelso poscere rare polo.
Vade age, nec forsan terrestri dignus, in æuum
Ludito cœlestem dignior ante patrem.

Ad Paulum Bernauum, Theologum, De Prognostico diei Paulini an. 94.

Nec clara est tua, Paule, dies, nec (ut alta vetustas
Eruit euentus) tempora læta notat.
Nec pluuia est, nec cara vehit, quoniam inuenit ante
Cara, nouisq; malis forte priora grauat.

At da-

t dubia, & niue mixta parùm, ventosáq; surgit:
Morbos ergo graues, & fera bella feret.
Omen abi: Sic astra quidem inclinare uidentur:
Conscia fatorum corrigat astra Deus.

De Dierum reciprocatione, ad Eundem, stylo veteri.

Aut mendax æui est custos, & vana, Vetustas,
Nec quæ signauit tempora, vera probat.
Sed breuibus dignum Gyaris ac morte piandum,
Mendacem & vanam dicere, dico nefas.
Aut fallax est iste (reor) nouus ordo dierum,
Ambiguum quem gens illa, vel illa tenet.
Sed dixisse nimis dubium, reus ore maligno
Criminis audacis fortè merebor agi.
Ante decem quæ, Paule, tibi sacra venerat, omnis
Transijt infelix & sine luce, dies:
At voluens, quam seruat humus diuersa, diurno
Frigoris arcani Sole serena nitet.
Quid rerum laxare fidem, quid tristius imo
Permiscere mari sydera celsa, queat?
Sic Christos, sic Pascha duplex, sic Orgia bina,
Sic geminos Paulos, sic duo crede Petros.
Videris hæc iam Paule, duo precor (omina:) Priscum
Certius, & peius dixeris esse nouum.

Nobili Viro N. N.

Pro nostris non grata Deo non uota, sed omni
Non placitura homini, Vir tibi summe, dico.

Vt splendore tui tuear me nominis, artis
Si quis Aristarchus dicat inesse minus.
„ *Sic benè dicta boni, studio liuoris acerbo*
Non bonus interpres pessima sæpe facit.

Simoni Seidlero Ciui Thuronen.

Munere pro magno maius melitoma dedisti:
Munere pro paruo da melitoma minus.

Valerio Herbergero, Theol. Fraust.

Labe perire tibi, Valeri, malè Medica mala,
Absentis coram coniuge questus heri es.
Ac vix digressus, misisti vni ilicet unum:
Quòd poteras vno scilicet, ire pede.
Aut vno malo esse putas Euamq́ Virumq́
Primitus impletos? Par dare, laudis erat.
Ne tua mucor edat, suibus mox danda proteruis,
Integra des memori dantis, edenda mihi.
Siq́ cupis mecum uituli deglubere cæsi,
Non vestro coctum more modoq́ caput.
Serus vbi quartam cras horam ostenderit index,
Tempora colloquio pauca dature, veni.

Eidem Ferream, sed rimosam habenti ianuam, δικτικῶς.

Ianua deteriore rigens (res mira) metallo,
Mille foraminibus sed tamen ista patet.
Vnde putem facta illa? Voransne teredo peredit?
Arsue terebrauit? vis vel aperta scidit?
Omnia, quantumuis adamantina, dente uetustas
Rodit, & absumens ferrea tota situs.

EPIGRAMMATVM M. ANDREAE CALAGII VRATISLAVIENSIS LIBER IIII.

Illustris. Prin. IOACHIMO FRIDERICO Duci Lygn. & Breg.

Patronum sibi quisq; cliens, plerunq; potentem,
Cum legat, vnde suus multiplicetur honor:
In sacris audax ego carmine, egensq; patroni,
Nescio, quæ melius me tueatur, opem:
Quàm tuâ, quam suspiro, Ducum Illustrissime, quæ (me
Vna potest tricis expediisse meis.
Tu modò conatus non auersére fouendos,
Et mereare tui Vatis ab ore cani.
Iam Lygios ingente Duces iam molior ausu:
Vt benè progrediar, tu mihi pande viam.
Sis mihi Alexander. Lysipus, Homerus, Apelles,
Præco tibi, pictor, fictor ego unus ero.

Illustris. Principi, AVGVSTO, Duci Anhalti, &c.

Hoc quoq; tu Vatis, Dux Illustrissime, munus
Dedignere minùs, quod tibi vile fero.
Carmina sacra leges: Onerato rebus agendis
Si legisse Duci carmina fortè vacat.
Quo vultu te fama canit spectare Camœnas,
Illo ipso aspicias hæc quoq; nostra precor.

Nomen & vt sibi iure, diu vigilata, mearum
Pagina præfigat, digna sit illa, tuum.

D. Iohan. Reymanno I. C. Lygioi bregen. Cancell.

Quondam etiam versans sinuosa volumina Iuris,
Promissum didici quodlibet esse reum.
Inde memor quemvis semper promissa poposci:
Promissum, veri conscius, omne dedi.
Quàm benè nunc vtrinq; rei persoluimus ambo
Debita promissi præmia, stante fide.
Tu, Vir magne, nouo quæsitus amicus amico,
Frugiferæ Cereris condita dona paras.
Pauper ego imparibus (constet quò gratia) Vates
Muneribus certans, carmina reddo tibi.
Immineat, precor, illa dies, qua surgere lapso,
Et mihi contingat munere stare tuo:
Ac non Bellerophontis aquas, ingrata, sed Hermi
Pactoliq; grauis, dona petita, dabo.

Nobili Viro, Iohanni Schmid, Vrat. Consiliario Illustri.

Dum, quo non ullus rebus Reymannus agendis
Clarior, octiduo vix rediturus, abest.
Dumq; hodiè arripuit Pragam Gener eius ad altam,
Altera iamdudum spes mea, Picus iter:
Cras autem vulget, de magna hic affore caussa,
Quam nescire meum est, nuncia fama Ducem.

Haud equidem video, quis commendare fauori
Pollio ſperato carmina noſtra queat?
Intereà expleture vicem, clariſſime SMIDI,
Tu, precor, abſentum grandius inſtar habe.
Et quò, quid tueare? ſcias: Cenſoribus antè,
Si vacat, hæc oculis excute miſſa tibi.

V. Ampliſs. Godefrido Schilling, Senatori, cum Fortunæ grandinantis munere.

Quæ crepitante diu lapidum Fortuna vagorum
Grandine viſa meum ſæua ferire caput:
Vt me dexterior facta vice rurſus inauret,
Sit quota pars curæ Compater, oro, tuæ.

Albino Helvigio I. C. cum eodem.

Vt, quæ me preſſit Sors grandine, rurſus inauret
Erectum, ſubeat te quoq; cura mei.

Martino Nagel, & Vrſulæ Bidermanin, Patricijs Sponſis 2. Maij. An. 95.

Iam relaxatis Zephyro tepenti
Horridæ brumæ niuib geluq́;,
Redditur pigris ſua forma terris,
Redditur Orbi.
Parturit viuax humus alma gramen:
Prata pubeſcunt nitido colorum

Flore: turgeſcunt ſegetes, comasq́;,
Induit arbor.
Frondib. ſubter trabibusq́; garrit
Alitum ſingens genus omne nidos:
E volutabris fera, & ex latebris
Reptile prodit.
Solus in ſolo latitet cubili,
Negligens vſus homo coniugales;
Ac reſes tanto Veneris benignæ
Cardine ceſſet!
Haud Deo ſic eſt placitum: maritam
Eſt Deo caſto placitum, maremq́;
Eſſe concordes animis thorisq́;,
Prolis amore.
Id ſciens, recto ſtudio, ſequensq́;,
Integer malas Iuuenis nitentes,
Eligis cum qua ſocies amorem &
Tempora vitæ.
Hos tuo cordi Deus, ignis ipſe,
Non Venus, mater ſcelerum; nec huius
Filius, cæco metuendus arcu,
Indidit ignes.
Ergo, quæ tanto tibi de ſororum,
Pieri patris quaſi filiarum,
Sed modeſtarum numero, iugatur,
Vre puellam.
Non puellaris leuitatis illa,

Non chorearum, neq; vanitatis,
Non voluptatis, neq; friuolorum
Docta iocorum.
Mater infantem pietatis omni
Ac honestatis studio, boniq;,
Cum tot insigni grege liberorum,
Sedula finxit.
Te bonus sicut teneris ab annis
Inde, virtutis grauiumq; morum
Tradidit doctis pater imbuendum
Laude magistris.
O iuuentutis decus ambo nostræ:
O maritorum benè par nouorum:
O futurorum noua spes nepotum
Munere fati.
Arctiùs vinclo propiore iuncti,
Dexteris (signo fidei) prehensis,
Et datis (grata vice vocis) arrhis,
Este beati.
Angeli stipent thalamum latusq;:
Christus affundat latices Lyæos:
Spes, fides, candor, pietas, amorq;
Ornet vtrumq;.
Sic Deo, vestri similes, ministros;
Sic bonæ ciues Patriæ petitos;
Sic vetustati dabitis frequente
Prole nepotes.

In Capricornum, Insigne D. Caspari Pakysch, Medici, Physici.

Transsiliens veluti scopulos Capricornus, acuto
Gaudet in excelsi vertice stare iugi:
Sic Virtus famæ studio, non vlla quiescit,
Dum pede victrici summa pericla premat.

Bartholomæo Bylouio, suos Poëtas donanti, & Laureatum appellanti.

Ignarum, notumq́; tibi modò nomine, quòd me
Vatibus adscribis, Bartholomæe, tuis:
Laudo quidem, studiumq́; probo: sed lapsus oportet
Heu vereor, vera ne videare uia.
Vt tu non vllum dicto aspiraris amorem:
Fors tamen hoc nondum nomine dignus eram.

Eidem.

Carmina nunc iuuenis, Byloui, cùm talia ludas,
Scripturum expectem qualia deinde uirum?
Iudicium firmârit vbi robustior ætas,
Pleniùs Aonio, testor, ab amne bibes.

D. Lauren. Scholzio Medico.

Ingredior si quando, alijs comitantibus, Hortum,
Ad breue colloquium, dulcis Amice, tuum.
Atq; tot intueor nitidis cum floribus herbas,
Quicquid & hoc oculos, quicquid & ora tenet,
Qualiscunq; mihi repræsentatur imago
Illius, unde nocens excidit æger Adam.

Det Deus ô dum sæpè tuo lætamur in horto,
Spes Paradisiaci nos animosa leuet.

Ad Mosis Iconem.

Qui, Deus, implesti Mosen magis omnibus, imple
Me quoq; per Mosen qui tua gesta, cano.
Et vatum sacer ille tuus qui Spiritus afflat
Corda, meum haud uacuum numinis esse sinat.
Sic pede, sic radio, sic ore retexero voti
Stamina percurrens, vix benè cepta, mei.
Sic dedero placitura tibi, & mea pluribus annis
Extiterit Legi congrua vita tuæ.

Magdalenæ Secundæ Filiolæ,

Germanis geminis, totidemq; Sororibus, usq;
Huc fato viuis, quæ superorta, uiges:
Viue, uigeq; precor, mea Magdalis, atq; paternæ
Quæ superest, Auiæ florida nomen habe.
Cur precer hoc, tua forma facit: tua gratia certæ
Indolis & vultus, digna fauore, facit.
Te nascente, feror felix, dum uiuo: Quòd eheu
Suspicor, infelix, te moriente, ferar.

In Iacobi Monauij Symbolum.

Nil nostrum facere est. Cùm feceris omnia, seruum
Est opus vt vilem te fateare Dei.
Is solus bona cuncta facit, fecitq;. Quis ergo,
Facturum vlteriùs, subdubitare velit?

Lucæ

Lucæ Pollioni, Med. D.

Carmina scripturo deerunt si quando Poëtæ,
Quorum selectam fors imitere phrasin:
Hoc vtare libro, LVCA. Grauium omnibus illis
Inuenies vocum quicquid inesse potest.

In Vitem, specimen Horti, quem Mart. Mylius plantat Gorlicij Philosophicum.

Nunc herbas pariente nouas tellure, virescens
Dum sua campus habet gramina, ridet ager.
Dum per Laurentina magis Plantaria florum
Dulcis apricorum gratia quemq; capit.
Dumq; suas, vndante sinu, per Mylia Tempe,
Verna voluptates largiùs aura creat.
Hic, hortis si vtrisq; gradu spaciarer, & istic,
Nunc oculos, animum nunc satiaret odor.
En Vitem dum carpo tuam, dulcissime Myli,
Campanæ videor lambere vina sapæ.
Quid sperem fructus, quid Nectaris, integer aptus
Quando legi populis exeret Hortus opes?
Inde famem studio rerum quicunq; tenetur
Multiplici, ad satiem soluerit, inde sitim.
Perge precor, demptaq; mora, laudata potentis
Victurum Alcinoi germina, profer opus.

In M. Simonis Grunæi, P. L. Diaconi Lygnizen. Iconem.

Viuida Grunæum designat imago Simonem:
Ingenium & mentem libera scripta docent.

Distichon

Distichon, solutæ orationis præfixum Synonymis.

Hæc pueris nunc parua damus, sed idonea vitæ:
At quondam meritis vberiora, viris.

Balthazari Exnero Hirsber. Poetæ crescenti.

Qui faciat, quacunq; etiam licet, arte potentem:
Si modò, natura fortior, vsus erit:
Non, nisi robustis tecum prodibit ab annis,
Aonidum dignus fonte leuare sitim.
Cuius inexpleto si tu quoq; tangeris haustu,
Exnere, ad studium longius, adde dies:
Sic ope naturæ gemina munitus & artis,
In numeros coges libera verba suos.
Cumq; celebratis celebrabere vatibus, ibit
Donec in æquoreas Odera noster aquas.

Iacobo Schevenio Pharmacopæo, Ad sua Insignia Symbolumq; allusio.

Negligit hæc ætas Virtutis amore calentes:
In vitium, inq; nefas quos iuuat ire, fouet.
Magnus vt esse queas, stadio Virtutis omisso,
Laudatum vitij curre patentis iter.
Eumenidum tremere usq; graues, non emero tanti,
Quas credit nullas turba profana, faces.
Res ditent damnentq; alium sua crimina; me mens
Integra, simplicitas, pauperiesq;, iuuent.

Ad eadem, Iosepho Morhamer Carnouien.

Tu, quicunq; negas, vllum post funera sensum,
In vitium, in facinus, ceu libet, omne rue.
At vitam qui credo aliam, Virtute Deoq;
Nitor, & his tantùm, quicquid adorno, dico.
Mercedemq; fero, qualem dat Mundus. Et illic
Certa tibi merces, si modò credis, erit.

Exnero.

Tu quoq;, quid Vates Vatem modò carmina poscis?
Aut quia, quod poscar, scis nihil esse mihi?
Do tamen, haud inuitus, opum vbertate negata,
Quæ Deus & Virtus dona dedêre mihi.
Hæc tibi sint auro longè potiora, tot annis
Quot tibi fata dabunt, sint monimenta mei.

Reueren. & Magnif. Viro, Iacobo Chimarrhæo, Comiti Palatino &c. Pragæ, an. 97. 2. Oct.

Cùm rerum imperijq; caput sublime, RVDolphum,
Orbis inexpliciti sarcina mole premat.
Vt nunc hæc, nunc illa neget curare minora,
Mandat honoratis expedienda viris.
Sic etiam, Vir summe, bonus tibi tradidit idem,
Quos reputes dignos nomine Vatis, ames.
Nec duntaxat ames, proprio sed iure Poëtas,
Quæ non exigua est gloria, sæpè crees.

Me,

Me,rogo,non solùm æquus ama,sed & esse Poëtam,
Qui te dante geram Laurea serta,jube.
Et dignum conside.Decem ter,& ampliùs,annos
Quippe DEI atq; hominum facta decusq; cano
Vt porrò illa,tua,& (dum uixero) Cæsaris,ore
Debeo quo,grato,fac mereare, canam.

Amicis ibidem Candidatus, die eodem.

Frondis Olympiacæ mihi,nomine Cæsaris ipso,
Sera Chimarrhæus quæ modò Serta dedit:
Vt vireant plures,nutu Omnipotentis, in annos,
Addo meas vestris,pectora fida, preces.
Antè equidem solitus famæ dare vela petendæ,
Nunc magè Virtutis prosequar illud iter.
Nec mihi quid fuerit,licet instet inertior ætas,
Laudibus æthereis Cæsareisq; prius.

Arconato suo comes itineris additus, Glatij,ipso diremptus die, 10. Octob.

Iam forsan non vise mihi,Arconate,per annos
Viginti,extremùm nonne videndus eras?
Serò videreris,fecit sors Delia namq;
Dum capiti folia,& te bona Praga,peto.
Ignarus (quòd tarda fides reddentis) ab Aula
Partem animæ invenio cedere velle meæ.
Atq; suam rursus,post tædia longa, Viennam
Suspirare,lues hanc licet ægra domet.

O quantum est, venisse loco. Non fortè, secundo
Quòd tulerim adventus Serta petita die.
Non quòd, in ora virûm dandis, tentata probârim,
Indulgente moram Cæsare, vota meis.
Sed quod abunde etiam mihi cernere dulcis Amici
Exoptata aliquot contigit ora dies.
Ac miscere dapes inter (de more) viasq;,
Praga inde ad Glatij mœnia nota, jocos.
Salvus ut hinc etiam ire domum, duce Numine, & illi
Pestis ab insidijs tutior esse queas:
Quod lue me media assuevit servare meosq;,
Numen adorandum supplice voce precor.

Salutatio, qua novum Abbatem, D. Nicol. Scholz, ad S. Vincentium compellauit Praga redux. 11. Octob.

Abbatem, Vir summe, novum te nuncio. Primus
O utinam, ut cursus præmia digna feram.
Quem verò Omnipotens, quem Sors, quem Cæsar honorem
Dant, sit dent etiam longior ille tibi.
Vt servire DEO, utq; homini prodesse, merendo
Non malè de quovis, quæ tua cura, queat.
Hoc mecum verè doctus Sertorius optat,
Hocq; Chimarrhæus, pectora fida tibi.

Samueli Latochio Poetæ.

Saluantis tubicen Fidei, Latochi,
In lucem Phrasibus datis, solutæ
Vocis scilicet, ut priùs ligatæ,

Nunc

Nunc ex Cæsarea reversus Aula,
Spondenti requiem Maronianam;
Nec myrtus hederisq; pœnitendus
Contentus magè, sed juvante Lauri
Evinctus folijs, creo, quod inde
A mundi fabrica potens Creator,
Mox Sextum tibi Biblidos videndum.
Quem si suspicis, ac remunerari
Affectas, cumeram benignioris
Frumenti resera capaciorem.
Sic junctos simul excitabis æstas
Vt ventura meos legat labores.
Sic ad cuncta mereberis parati,
Et dempta remora, fidem Sodalis.
Maior pars animæ meæ decusq;,
Et per se celebris satis sub Euro,
Sub Cauro, Borea sub, & sub Austro,
Te dilexerit Arconatus ille:
Te Rhudingerius Byloviusq;,
Me curante, colent, suumq; dicent;
Ac tecum numeris, vel his, vel illis
Certabunt, faciles uterq; Vates.
Iam Crœsi valeant opes Midæq;:
Virtus & pietas perenne nomen,
Ac post hanc, lacrymis malisq; plenam,
Vitam conciliant beatiorem.

VERBA I. CAP. IN CANTICO SA-
lom. ultima, Adamo Lucken & Ma-
riæ Iohniu Sponsis, ornanda numeris
Musicis.

Prior pars.

O quàm pulcra es, Amica mea, ô formosa: Columba
Dico tuos oculos. Vox tua melle prior.
Nil tua amabilius specie est. Tua flammea labra:
Sermo placens: Veluti Punica mala, genæ.
Vbertate tument mammæ. Quàm lumine blando
Possedisti animum, Sponsa petita, meum.

Altera Pars.

O quàm sydere, Amice, mihi formosior, ô quàm
Innumera ante virûm millia, lecte mihi.
Quale aurum coma, eburq; genæ: Mea colla retentet
Læua tua, amplexu pectora dextra terat.
Me cor me signante tuum, signante lacertum,
Palma velut, vireat noster, ut herba thoris.

In I.V.D. ANDREAE LADAE-
bach Insignia pariter & Symb.

Sicut Abantiades peragrauit & aëris oras,
Et terræ metas, alite vectus Equo.
Sicut Atlanta ferum rigido saxo induit idem,
Ac prædam, remeans, aurea poma tulit.
Gorgonis ut secuit cervicem, ut piscis ab ore
Assertam Andromeden, junxit amore sibi;
Sic & Virtute & Fortuna extrema juuante
Nulla Ladenbachius non adeunda putat.

Oris

Oris & eloquio dubiarum ænigmata legum,
Ac Iuris nodos, cæcaq; vincla secat.
Et placidam ob mentem moresq; meretur amari,
Præsidium trepidis haud mediocre reis.

Poëtæ Amico.

Æris egens si fortè senex pedes ire recusas,
Iam nunc Aonidum desere castra, Philo.
Et, cole vel Baldi magnive Machaonis artes,
Compositurus opes, atq; vehendus equis.
Non fovet, hæc vates tantummodò devovet ætas:
I nunc, & nimio carmine finge deam.

Anagrammatismus Autoris primus, quo Sponsus, Achatius Fenzel Sponsam Susannam, Patricius patriciam compellat, nuptiarum die 3. Febr. an. 97.

ACHATIVS, SVSANNA.

Hui stas cana anus.

Nunc Iuveni quæ lecta mihi de mille puellis
Sponsa, juuentutis flore, Susanna, nites:
Olim etiam nostræ regimen, viresq; senectæ,
Hui stas cana, *Dei munere dantis,* anus?
Quid? præcana fide jam stas. Ætate staturam,
Haud quaquam dubiæ sto rationis inops.
Sicut enim in sobolem facies virtusq; parentum:
Sic ævi interdum longior ordo redit.
Et quanquam Soceri ambo, thori par dulce quieti,
Nondum adeò longa consenuêre die.

Quippe suæ mediæ decurrunt limitæ vitæ,
Et certant vitiis exeruisse caput.
Vis tamen his innata, suum & (nisi fallimur) omen
Matrem spondet anum grande, patremq; senem.
Qui nobis hucusq; dies dedit, ille det ipsos
Longius, atq; thori fœdera fausta, Deus.
Det medium, finemq; bonum. Et pluat arce Sionis
Cætera, coniugium quæ bona cuncta beant.

M. Iohan. Paricio Olsn. cùm de consilio Senatus, ab æde Bernhardi in Magdalenæam An. 97. mense Matt. vocaretur.

Te charum. Vir docte, Deo, nec sortis egentem,
Vrbis & acceptum Patribus, inde liquet:
Sacrata quòd ab æde sacram transferris in ædem,
Verba modestus ubi mystica præco sones.
Vrge age successus: tripliciq; favore Senatus,
Officium, circa sacra, potenter obi.
Ornabitq; tuum, cuivis promissa fideli,
Alterius vitæ pulcra corona caput.

In Nadab, & Abiu, peregrinum offerentes ignem, Hieremiæ Hilischero, Theologo.

Cantanti tua, magne Deus, miracula, dextram
Qui rexti, & mentem, fac rege deinde meam.
Vt, sicut tibi cepit opus, sic desinat ipsum
Et phrasis & genii non levioris, idem.

Ad Sebastianum Vthman à Pilsnitz, de eius Insignibus.

Præpetibus magè celsus abit Iovis ales in auras:
Præ stolidis Virtus, ardua sola petit.
Victorem Diadema nitens, & caßis aperta,
Munera non cuivis contribuenda, decent.
Mole sua Cataphractus, atrox stat & ense reducto,
Area quem circùm cæde recente rubet.
Talia, Virtutis bello documenta paratæ
Fortiter, Vthmannis digna quis Arma neget?
Digna Viris, qui Marte valent. Valuêre sat isto,
Haud vulgare refers unde SEBASTE, genus.
Inprimis Auratus Eques, non tam ordine gentis,
Quàm magè militiæ munere factus, Auus.
Non minor hoc dicende Nepos, juvenum optimus, eja
Nil virtute tibi pulcrius esse puta.

In Lutherum & Melanthonem.

Scripta probent aliorum alij. Tua magne LVTHERE,
Et tua præ cunctis, docte PHILIPPE, probo.
Hæc sequor, hæc fidei sum normas antè secutus,
Hæc etiam, fuerit dum mihi vita, sequar.

In Iohan. Koschmā, ad S. Iohan. Vicarij Insignia, Symbolumq;: Victoris Laurea merces.

Hirsutos inter vepres ut Lilia florent:
Viribus ingenuis ut Leo quæq; domat:
Sic Virtus, haud fracta malis, in fine laborum,
Laurea, Vincenti debita, serta gerit.

Diſtichon Sculptis ſubſcribendũ.

Cæſaris, à Koſchmin dictus Niger Arma Iohannes
Hæc ſua, Rudolphi munere, munus habet.

M. Barthol. Bylovio.

Cùm mentem nôris ſatis antè manumq́;, quid ultrà
Penè moleſte meam, Bartholomæe, rogas?
Illa liquet manifeſta bonis: Hæc ſeruit & hoſti
Sæpè meo. Ingenuam jam quis utramq; neget?
At quia mens non arte poteſt extundier ulla;
Expreſſam intereà ſit ſatis eſſe manum.

Caſparo Galvio Hauelberg. ejus Comiti.

,, Fide parùm, qui multa ſolent promittere. Linguæ
Sæpè ſub ambiguæ melle, venena latent.
,, Non unus ſeſe eſſe mihi jurauit amicum,
Nil illo aſperius juro fuiſſe mihi.
I nunc, fucatum demiraturus amorem,
Et tibi dulce puta, credulitate capi.

M. Iacobo Berelio ad D. Bernhardum Præpoſito 3. Ian. An. 98.

Quòd Iani placidis noui calendis
Ceſsârim, puero licet vocatus,
Ad te, more meo, venire pranſum;
Cùm cauſſam rogites, fuiſſe nôris,
Non pulpam, mihi fauce glutiendam
Aut Iunonis auem, grauemve rhombum;
Vt ſcis, me modico ſatis beatum:

Sed

Sed frigus gelidum viamq; longam.

Fornax interea calens, focusq;
Algens, spetenui famem levârunt:
Et quæ, jam medium diem tenente
Phœbo, per puerum tuum, benignæ
Venerunt inopina dona Strenæ,
Conus triticeus, Suisq; rictus.

Hic demum genio vacans, meorum
Septem, quottidie mihi cibandos,
In partem sociæ dapis vocabam.
Et jam præproperus parârat ignis,
Quod Sors misit, olusq; maceratum,
Cùm Persis epularer invidendus
Multò lautiùs, & deesse tantùm
Bacchi, quem biberem, bonum liquorem,
Suspirans quererer, molestiori
Fulturam stomacho recentiorem:
Tum, seu simplicitate, seu sagaci
Qua pollet mea mente, parua natu,
E celsis, ait, haud procul fenestris
Pendentes hederæ merum propinant:
Si frigent loculi, meo parandum
(Quem Strenam dedit Anna Sponsa) nummo.

Sat rectè: Citiusq;, me jubente,
Allatum properaret illa: Donec
A mensa quasi subvolat, cachinnus
Cunctorum parili resoluit ora
Voce magnus; Iò frequenter iste

Faustis ominib. dies recurrat:
Nec non Ihova Berelio det annos,
Conos triticeos, Suumq; buccas.
Vt fors ille sibi datis abundans,
Portet pectore liberalitatem,
In pressos inopesq; conferendam,
Ac, si defuerit latex Lyæus,
Zythum, vel tenuem bibemus undam.
Nostrum nemo vorax, bibax, petaxve.

INSIGNIA
Ducum Regumq; Poloniæ.

Si quæris caussam, accipias: Insignia Regum
Vnde Polonorum condecorentur Aui.
Læchus ubi rigidæ sibi subdita gentis haberet
Conditor imperio Vandala rura suo.
Et coleret rude vulgus agros, fontesq;, lacusq;,
Nec forma utendi legibus ulla foret.
Vivendi dedit ipse modos, & condidit arcem,
Hîc ubi planicie Gnesna patente jacet.
Haud ea coctilibus surgebat in aëra muris,
Sæpè quibus pelli vis manifesta potest.
Sponte sua coiêre rudes, ut ad Orphea quondam
Ducentem liquida voce lyraq;, trabes.
Quæq; feris rabidis priùs alitibusq; latebras
Invia, pòst homini lustra dedêre domos.
Vtq; loco meritum Nidorum copia nomen:
Sic Insigne Duci casus Auisq; tulit.

Nempe

Nempe levis volucris ramo paßim oua fouebat,
Auspicium regni non leve, Læche tui.
Hic sedes, hic ardor erat tibi poscere sortes,
Hic non lege fori iura, sed ore dabas.
Sic animos exuta feros mansueuit, & urbes
Plebs, & te patriæ cepit amare patrem.

Hieronymo Arconato, L. Secret. Aulæ Bellico.

De Iaurino, 29. Mart. recuperato, An. 98.

Quæ modò Iaurinum nocturno Marte receptum
Esse susurrabat, credita fama parum.
Nunc plenam, Arconate, fidem te teste meretur,
Et, quos effinxit clara Vienna, typis.
Optárim, mecumq; alij, rem carmine dignam,
Carmine complexus liquidiore fores.
Narrasses (narrasse licet) quo forte vel astu,
Vel virtute magis, cepta sit illa geri?
Quis stabiles tanto portas patefecerit ausu?
Mœnia quis primus presserit alta pede?
Aut (admiror enim) sumptis exercitus alis,
Victor in Vrbe, nihil tale timente, stetit?
Horarum haud mora longa trium est: Quis crederet
Hostibus, ut subitis, hac potuisse capi? Arcem
Cepit eam Æmilianus (ais) dux Maximus ille:
Nomen & à Nigro qui Baro Monte tulit.
Iam cedo, stupeoq; minus: Quin fulmina belli
Hæc, ut Alexandro sint propiora, precor.

Lecto-

Lectorum ô Par grande Ducum, ô porrò utere tali
Arte, suasq; brevi Cæsar habebit opes.
Aude animis tantùm. Ipse, suæ causæ optimus ultor,
Iam tibi justa comes tendit in arma, DEVS.
Tu quoq; Cæsaream ob laudem, Arconate, Poëtis
Vulganda, evulga quæso, tacenda tace.

Turris Novoforen. fastigium, nocturnis dejectum tempestatib. Anno 98. Iun. 10.

Extruxêre manus hominum quæ culmina, turris
Ardua, submisit fulmine tacta Deus.
Res mira: Excubitor, tres nati, uxorq;, caducas
Desuper, & circùm, sustinuêre minas.
At læsos fortassè, putas? Ne quære. Seorsim,
Vt valido cinctus carcere, quisq; stetit.
I nunc, qui stultus, præsentia numina nescis:
Atq; nega, curæ munia fida DEO.

Sigismundo Transylv. Principi, Vratislaviam 16. Iun. An. 98. ingredienti, nuncupatum, non oblatum.

Quæ tibi nunc habitanda, Ducum fortißime, tecta sit,
Tacta sit ô fausto Slesias ora pede.
Cui faustum precer esse, rogas fortasse? Tibiq;
Esse Deo faustum dante, plagæq; precor.
Vt metuenda stetit tua Transylvania Turcis,
Slesia præsidio stet quoq; nostra tuo.

Fallor

Fallor? an hoc i sum frons ardua spondet, honosq́;
Oris, & arx mentis, celsior Orbe, tuæ?
Spondet iò. Quid nuto? Fidem facit ipse juuentæ
Feruor, & actorum gloria, nota polo.
Quid, dederint si fata tibi superesse, diuq́;
His sacrata locis reddere jura rear?
O tunc me non esse senem, cui frigida virtus,
Sed cui vena virum vivida, visq́;, velim.
Vt tua digna cedris, ut Cæsaris acta Rudolphi
Fractaq́; Turcarum dicere colla queam.
Posse quidem, & quoq; velle foret mihi fortè: Negatur
Sors sola. Hanc mutes æquus, eroq́; tuus.

CORRECTIO.

Spes ea nostra quidem, nec sola, sed omnis, ab hoste
Qui Patriam salvam flagitat esse, fuit.
At dubiæ raptata Notis, evanuit auræ.
" Sic res Principibus fidere, tuta parùm.
Absit iò, infaustum omen, ut illa ruina Forensis
His aliquid terris portet iniqua noui.
Turbarum paßim antè satis. Largire quietem
Perpete perpetuam cum Duce, magne DEVS.

Etcostichon de natali M. Eliæ Bonvinij Diaconi Elizabeth.

Elia, Senior Bonvini, ubi nasceris Orbi,
Ducit ibi Augustus luce bis octo dies.

Responsio quasi.

NasCor ego ELIAS Senior BonVInIVs, ortæ
DVCIT Vt AVgVstVs LVCe bIs oCto DIes.

IN

In Iconem, Symbolum, Insignia, atque adeò Poëmata, Viri Nobilis, Hieronymi Arconati.

Arconate, licet tua non effictа magistro,
Nota tamen populis omnibus ora forent.
Nam quis non vidit te Sarmata, Teuto, Britannus,
Ausonius, Cimber, Thrax, Schyta, Gallus, Iber,
Te medius, nouit te primus & ultimus Orbis,
Regna peragrantem dissita, quisq; domi.
Iamq; tuam spectans (quid cessas spargere?) viuam
Effigiem, recolit te magis atq; magis.
Et tacitos ex fronte animos rimatus apertum
Candorem è vita carminibusq; notat.
Nam quid iis ipsis datur ingeniosius usquam,
Suavius, integrius, lucidiusve legi?
Auguror hic blandas Charites ac numina Vatum
Cuncta, facultates contribuisse suas.
Vt, magnum quod, Cæsar amet te jure, Rudolphus,
Et fidei credat bellica jura tuæ.
Quippe salutari te scit Spe vivere, teq;
Tempore posse loqui posse silere suo.
Vnde paterna novis Insignibus addidit arma,
Præmia virtutem testificata tuam.
Apta equidem. Quia summa volat ceu fulminis ales:
Nobilitas animi sic tua, summa petit.
Naribus & qualem latè jaculantur odorem
Lilia: dant talem carmina, tincta sale.

Vive precor, floreq́; diu: tandemq́; parentem
Quæ referat, soboles sit tibi, dante DEO.

Petro VVIDAVSKI, Iuniori, VVidaviam Sept. mense excurrens. Anno 98.

Quem depoſcis, adeſt tibi, Petre, Calagius hoſpes,
Tædia poſt modicæ non ita longa viæ.
Lætior ergo tuis ſuccedere ſedibus optat,
Conſpectuq́; tuo colloquioq́; frui.

Ogonczigerorum, generoſæ per Poloniam familiæ, Inſignia.

Quid porrecta manus duplex ad ſydera, quidq́;
Pars notet orbiculi, quidq́; ſagitta, rogas?
Accipe: Rapta Getæ generoſa decensq́;, volucri
Virgo trahebatur profugientis Equo.
Et paſſis ſuperos palmis hominesq́; ciebat,
Hoſtis inhumani ne nova præda foret.
Miles adeſt, iaculoq́; Scytham deturbat, & ægræ
Strenuus apportat, quàm rogitârat, opem.
Illa ſuo digito detractum dividit aurum,
Hocq́; thori pignus certius, inquit, habe.
Iam fuerat tradenda alij, at non ſponte, marito:
Miles adeſt iterum, quodq́; meretur, habet.
Inde manus, telum, orbiculumq́; perennia facti
Indicia, hoc clypeo, regia dona, vides.

In An-

In antiquiss. Generosi, ac verè heroi-
cis virtutib. clariss. Viri, Iohan. Bo-
hovitin Sumbarij &c. Insig.

Si quisquam jactare potest Insignia gentis:
Iactat enim multus sæpè vetusta suæ.
Sumbarius jactare potest. Sed, origine quamvis
Defluat ætheria, jactitat illa minus.
Et tamen his stimulis, sequitur virtutis amorem,
Ac per acerba sibi sternit ad astra viam.
Herculeus velut ille Leo (genus unde recenset
Grande) Cleonæis imperitabat agris.
Divinum quid ut albus Olor, mera gloria Vatum
Præ reliquis auibus, munere Solis, habet.
Irasci velut unca ferox in cornua Taurus
Discit, & aurato mordicus orbe fremit.
Vt demum Vada terna, Drauus, Sauus, atq; Tibiscus,
Vorticibus rapidis per sua regna ruunt.
Sic Stephano grave Martis opus sub rege frequenter
Hic Heros didicit ferre, minasq; poli.
Et decoris precio pensare pericula, posset
Vt Scanderbego dignior esse nepos.
,, Stemmata sunt aliquid, sed nil, nisi fortibus ausis
Majorum studeas æmulus acta sequi.

Matthæo Zubero Palatino.
P. L. respondet.

Qui divina quidem, vena quacunq;, Poëta
Canto, sed haud cerebro carmina nata meo.

Non

Non modò Zuberi dulces assumo Camœnas;
Verùm etiam, hic quicquid pangit & ille, lego.
Quid tribuat sibi pulvis homo? Laus summa, modesti:
Absit, ut arbitrio damner ab ipse meo.
Immò peregrinis indulgeo laudibus; immò
Dixit in has quidam me bonus esse satum.
Te, qua par est, mente novum amplexurus amicum,
Conspectum opperior colloquiumq́ tuum.

In Hutteni, Poëtæ Franci, Iconem.
Vito Naslaroski.

Assiduè qui Martis eras invictus & artis
Ingenuæ calamo miles, & ense tuo:
Nunc esses, Huttene, aciem stricturus in hostes
Quos mouet excito publicus Orbe furor.
Vix ita, vix illum plus quàm civilib. unquam,
Vt nunc Tisiphone motibus acris agit.
Heu quibus ærumnis miseri seruamur? Inertem
Barbariem, aut rerum triste tremisco chaos.

EIDEM.

Hæredi quas linquat, opes corradat auarus:
Me Clio, atq́ mori nescia, fama juvat.

Iohanni à Potok Potoczki.

Me perdit virtutis amor. Nec curo, superstes
Post obitum, cum nil tu, Veterator, eris.

Nicolao ejus Fratri.

Si sua, quæ Vitijs, Virtuti dona darentur:
Me puto divitior paupere nemo foret.

Susannæ Filiolæ, Anno 98. natæ, 27. Dec.

Tu, quæ nunc charæ prolabere matris ab aluo,
Non, quasi cognatum, nominis istud habes.
Sed tibi contingit castæ, quam Biblia monstrant,
Vindice seruatam sub Daniele, nurus.
Vt discas exempla sequi: Quod ab indice fronte,
Quæ quiddam spondet plana virile, noto.

Superioris inferiorisq; Silesiæ Principib. ac Procerib. Dedicatio Carminis de Asserto VVaradino.

Res gestas si Roma tulit, si Græcia, versu
Cur dici renuat SLESIA nostra suas?
Notior illa foret, quondam si dicta. Sed arte
Visa modò est, nunquam Marte carere suo.
Nunc florens utroq;, plagæ vix cesserit ulli,
Si fuerit, qualis Martis, & artis honos.
Esse parem, Proceres, aliàs malè credula, vestro
Munere posteritas, meq; docente, sciet.

Ad Patronos Clementiss. & Liberaliss. gratiarum actio. Pragæ, An. 99. Mense Iun. cũ Poëma recuderetur.

SLESIA, gesta equidem laudasti dicta tuorum
Nuper alumnorum, Vatis ab ore tui.
Nec modò laudasti, qui mos cuiuslibet æui est:
Spem quoq; vicisti munere larga meam.

Vis-

Vt fatear, tibi jam artis eum, qui Martis, honorem:
Pluribus unde potes gentibus ire prior.
Perge age sic Martis magno, perge artis amore:
Pergam ego, carminibus te celebrare meis.

Iacobo Chimarrhæo Protonot, &c.

Istuc Exnerum crescentem mitto Poëtam:
Isq; coronetur frontis honore, rogo.

Arconato suo, ad vitæ exitum vocato. 20. Iun. An. 99.

Tristior, Arconate, tuas quo prosequar umbras
Carmine, cùm celebris sis satis antè, tuo?
Ipse tibi pictor, tibi fictor & ipse fuisti:
Vt qui te cupiat dicere, littus aret.
Per te, quas Iuvenis terræ lustraveris oras,
Per te, quanta Virum foverit Aula, liquet.
Nunc quoq;, quo spoliata, patet Quid? Quodlibet, acre
Ingenium præter, pulueris instar habet.
Morte tibi jam parta quies. Nos fata (moramur
Qui vitam invisam) per nova casus agit.

Samueli Latochio Lauream solenni actu conferens Vratisl. Cal. Iul. An. 99.

En tandem meritus cape Laurea serta, LATOCHI,
Serta Chimarrhæo danda jubente tibi.
Quæ Praga ipse redux impono CALAGIVS, hortis
Cæsaris augustis pollice carpta meo.
Sume, gerendorumq; sagax intellige finem,
Quem bona pars Vatum postposuisse solet.
Ne quid amicitia, ne Divi laude RVDOLPHI
Sit tibi, nec sancta relligione, prius.

Nos pietas Superis, reverentia regibus Orbis,
Terrigenisq; fides debita, quippe decent.

Laureæ Argenteo sculptum circulo.

Numinis, heroumq; canas ut facta, LATOCHI,
Serta CHIMarrhæus Laurea dono tibi.

Balthasaro Exnero, Meliora Speranti.

Quæ speras, Exnere, eadem quoq; spero. Sed illa
In longum forsan sunt meliora diem.
Assiduis equidem acta malis ego terga dedissem,
Me nisi divinæ spes aluisset opis.
Nam dum nunc omnes, facto velut agmine, terras
Vrgent bella, fames, & miseranda lues;
Vix melius, jam quod speremus, habemus opinor,
Quàm vel barbariem, vel generale chaos.
Mundi ea lapsuri qui dixit signa, Redemptor,
Nostra stet, ô faxit, se veniente, fides.

Annæ Filiæ, luis tempore extinctæ. Anno 99. Nov. 20.

Dum delicta, Deus, compescis publica, sperem
Privatis veniæ scilicet esse locum?
Heu, mors hinc illinc postes quæ pluribus, uno
Verbere duntaxat pulsat acerba meos.
Omnes turbamur, dubij, cui fata parentur:
Poscamurne pater, mater, & orba domus?

Posceris una, viro jam jam matura, tibiq;
Pro thalamo tumulum fletibus, Anna, damus.
Et medicus suadet, comites simul ire trementes,
Demus terga fugæ, quò sua quemq; trahat.
At traheret quónam illa? Polo ferremur? es illic:
Ima subiremus tartara? Numen ades.
Ergo tibi soli cùm succumbamus, in ira
Ceu memor esse soles, ô memor esto modi.
Es certè. Nec enim accubitus sub labe sorori
Pestifer. Et nobis, te prohibente, foret?

MAGNIF. RECTORI, ET PROfessorib. Academ. Francof. Cal. Ian. An. 1600.

Cùm versus, qui scribit, amet: Cùm barbita Phœbi
Indoctis calamis, Tmole, priora putes.
Cur non submittam, ad Viadrum qui dulciùs amnem
Cantat, Apollineo carmina sacra choro?
De crepida sutor meliùs, de carmine vates
Iudicium, quod fas credere, ferre potest.

Georgio & Conrado Schencken Baronib. à Landsberg.

Nominis ut nota firma tui, par nobile Fratrum,
Accipe, quos pauper dono Poëta libros.
Addiderisq; mihi non parvùm calcar, in auras
Luminis edendi plura, juuante DEO.

M. Tobiæ Aleutneri P. L. Symbol.
Verbo duce, Vindice Christo.

Non ullis errat tenebris, te Vindice solo
Christe, tuum Verbum lampada quisquis habet.

In Theses Henrici Langii Silesij Philosophicas, Francofurti.

Quandoquidem didicisse bonas studiosiùs artes,
Gratia quò constet moribus apta, facit.
Tuq́; memor, Langæ, quid hanc sis missus in Vrbem,
Invigilas, illis iungere grande sophos.
Te fore vix quicquam confido modestius usquam,
Dummodò sic pergas, impigriusq́; nihil.

Matthæo Pezoldo, Aurimont.

Cum strena Pezolde, nova tibi xenion hospes
Hospitis hoc locuples pauperioris, habe.

IN FONTEM VITAE.
Abrahamo Calmanno Grunberg.

Nil puteos moror, iste fodit quoscunq́;, vel ille,
Dum de fonte suo det mihi Christus aquas.

DE IOHHANNI HENCEII à Blanckenburg, Crucigerorum cum Stella rubea Magistri beneficentia. Ad Calliopen.

Quod, sævit dum bruma gelu, fornacis ad ignem
Tu cum claudenda Biblide, Musa cales.
Nec, nimiùm jejuna fames dum pluribus oris
Multorùm attenuat corpora, panis eges.

Id (quid aperta neges?) Henceij Antistitis unum,
Post propiora tibi numina, munus habes.
O gaude, neglecta cliens, hunc nacta Patronum,
Quo magis hoc Musas tempore nemo juvat.
Et, dandum per carmen ei super astra ferendo,
Nestoreos mecum grata, precare dies.
Quippe, scio, quod fata velint, hoc sospite longùm,
Tu quoq;, cum salua Biblide, sospes eris.
Nominis & tanti dono memorabile nomen,
Ominor, à sera posteritate feres.
Immò, nec indubito, crescente sub ipsius umbra,
Ocia succrescent liberiora tibi.
Quæ forsan non ullus amet, nisi Numen, & Ipse.
Ergo iterum mecum dic benè: Vivat iò.

Biblis data publicis patriæ usib.

Vt tua Bibliotheca loco quocunq; recondat
Hæc monimenta mei, Patria chara, precor.

In bonorum Fortunæ fragilitatem, ad Nobil. & Stren. Virum, Ionam Schindel.

Quàm citò fortunæ rapiat bona casus, Iona,
Digne Patronorum maximus esse, vides.
Namq; tui quæ ruris heri magalia stabant
Iugiter, hæc hodiè semicremata jacent.
Villica nimirum, volucres incautiùs ignes
Stramine suggesto dum movet, igne nocet.
Non ea virtutis ratio est, animiq; bonorum,
Quæ nec aquæ, nec vis, flamma nec ulla rapit.

Has ego cùm modò secter opes, mundaq; remotus
Læter in exigua deliuisse casa,
Da, senium quæ fortè meum defendat, & ustam
Hanc quoq; damnosis ignibus esse, puta.
Hic hortos, hic rura colens, hic Numina, teq;,
Munera cunctorum voce lyraq; canam.
Perq; tuos ingressus auos, ab origine gentis,
Historiam vitæ continuabo tuæ.
Tu mihi Mecœnas, tu Pollio, tuq; Patronis
Augustus, vel ijs tu mihi majoa eris.

Revend. admodum & Nobili Iohanni Henceio à Blanckenburg, Crucigerorum cum Stella rubea Vrat. ad S. Matthiam M.

Vallenses, Henceie, Viro donaueris uni
Plus mille, heu grates qui tibi tardus agit,
Impendisse mihi centum, qui carmine grato
Id meritum faciam secula scire, neges?
Vix equidem puto. Nam mundo si mille dedisti,
Centum etiam Domino, qui regit astra, dabis.

In Melch. Rhederi, Baronis Silesij, heroisq; fortiss. effigiem.

Quæ tua sit virtus, Rhedere animose, per orbem
Teste Varadino satq; superq; patet.
Millibus, ô factum memorabile, quando duobus
Bis centena virûm millia victa tibi.

ACADEMIAE VVITEBERGEN.
M. Melchiori Iôstelio Dresden. M. Daniel Torschmid Freiberg. M. Tobiæ Tandlero Torgen. M. Casparo Horn Freiberg. Stephano Marcello Austriaco, & Basilio Plinio Rigen. renunciandis publicè Medicinæ Doctorib. ipso honorum die 14. Octob. Anno 1600.

Dum renovata typis Biblis mea venit ad auras,
Hic ubi cœruleis manat Elister aquis:
Me revocauit amor Patriæ minùs atq; meorum,
Quàm desiderium, Leucoris alma, tui.
Non modò, me fors jam ante duos dignata quòd annos
Et sex lustra, tuo sustinuisse sinu.
Cùm veni, patrijs huc tyro profectus ab oris,
Formandus varia Palladis arte tibi:
Verùm etiam, messes quòd jam ante bis octo, dedisti
Æqua, Magisterij me viguisse gradu.
En, tibi dum reddor post intervalla, creandos
Audio Doctores sex simul esse tibi.
Sicne faves constanter adhuc; inhonesta perosis
Ocia, virtutis prorsus amore, viris?
Perge age, cunctantes (dum lapsum, heu secla, minatur
Artis spetus honos) & stimulare rudes.
Sed Matri monitis quid liberioribus, ultrò
Currenti, stimulos Filius addo tibi?
Eximia cum laude viros velut antè dedisti
Artib. insignes, sic quoq; porrò dabis.

At,

At, quos nunc eo honore meus Iessenius ornat,
Carmine vos dici non meliore mihi:
Ferte, precor. Vix hora tulit succinctius istud:
Longius adijciat (si super) una dies.
Ac vestrum quæ cuiq; sit experientia rerum,
Quæ vis, quæ virtus propria, forte canat.

In Magisterij gradum & Symbolum Georgii VVeinrich Hirsb,

Tu quoq;, VVeinrichi, solo virtutis amore,
Niteris Aonidum prorsus adire nemus.
Iam mediam mihi crede viam tenuisse videris
Perge age, dum summo vertice stare queas.
Tunc & Honestatis vultum non parua sequetur
Gratia, cum merita debita laude tibi.

M. Ioan. Tralles Symbolum.

Sunt magno provisa Deo tua cuncta, Ioannes,
Proq; videnda dehinc, tu modò fide DEO.

Cælandum Cochleari Ioan. Iessenii D. Med.

Vt cibus ex patina geminis cochlearibus una:
Sensus ita è geminis cordibus unus eat.

Abrahamo Seilero Vratisl.

Promissos, Abrahame, duos tibi mitto librorum,
Si pote, promissum tu mihi mitte merum.

EIDEM.

Me meus ecce tuo modò reddidit Albis Elistro,
Ora reportantem pulverulenta siti.

Quis

Quin igitur, nuper quod mittere fortè volebas
Nobilius, mittis nunc, Abrahame, merum?
Mitte, tuisq́; volens etiam mandare quid, intra
Fac biduum mandes. Nam stat, abire domum.

Gratulatur Biblidi suæ.

Quòd truncata priùs, nunc integra, conspicis auras,
Præsulis HENCEII *munere, Biblis oua.*
Tuq́; legére feresq́; velut durabilis, annos
Sic quoq́; Nestoreos ipse, precare, ferat.
Vt non ingratam cernens, tutoris egentum
Si quid habes fratrum, te velut, æquus amet.
At quid, amat scio. Lingua procul modò dira facessat,
Quæq́; Lycambeo tela cruore madent.

In Natalem Iohan. Henceii, ad Divum Matthiam Vratisl. Magistri, ipso Iohannis Euang. die, An. 1601.

Natalemne tuum Baptista reportet, an alter,
Dulce Redemptoris cui recubasse sinu:
Nunc, Patrone, minùs quæro. Modò plurib. anno
Casibus exacto quòd superamus, ouo.
Nam quæ non nos quemq́; suo discrimina rerum,
Sæpè vacillantum, circumiêre loco?
Enumerare foret longùm. Depulsa fatemur,
Maxime Servator, munere cuncta tuo.
O largire, precor, possimus ut illa fateri,
Natalesq́; tuos concelebrare diu.

De Aeris & Brumæ inconſtantia, ad M. Chriſtoph. Scholzium, Theologum Vratisl.

Hæ cœli unde vices languentis, & unde, diebus
Quæ Iani, ſolito mollior, aura tepet.
Vnde nives fluidæ: vernis velut, imbribus iſtæ
Vnde per arua graues tam violenter, aquæ.
Miramur Scultete? Homines quia lapſibus errant,
Curſu etiam excutitur terra polusq́ ſuo.
Nil illos movêre reos ſepteania bella,
Nil diuturna fames, nil iterata lues.
Vt moveant, pridem jam præſaga aſtra laborant,
Te quoq; cœleſtes haud reticente minas.
Præcocis heu fati graviora tremiſco. Tuorum
Magne tuendorum tu miſerere Deus.

VVENCESLAO A ZEDLITZ Capitaneo Lignizen.

Grunæi, per te Vir nobilis ipſe, camœna,
Et diverſorum carmine, nomen habes.
Vt videar, perverſus aquas Catto addere, laudem
Laude noua ſi fors multiplicare velim.
Et tamen in noſtris etiam te ſæpè libellis,
Turpe tibi quisnam dixerit eſſe, legi?
Non tu ſæpè quidem legeris: ſed ut inde legaris,
Eveniet merito, magne Patrone, tuo.

Eidem.

Nonne legendus eras, & nunc & deînde frequenter,
Cum fiat meritis, Vir generoſe, tuis?

O, vel

O, vel ab exemplo, quæ carmina fortè tuenda,
Quæq; minùs, Soboles disceret ista, tuo.
Quando eadem censentur ei plerunq;, vicißim
Quæ vel tyro novus, vel veteranus agit.
Ac suus, ex merito, quondam quod amantior artis
Græcia dinovit, quemq; maneret honos.

Martini Goske, Pastoris apud Lygios Mariani, Symbolum.

Vt sua serpentem prudentia seruat ab hoste;
Simplicitas mites ut sua servat aues;
Sic hominis constat cauta ratione, suaq;
Insultus contra, simplicitate salus.

Ad illum ipsum.

Dum tibi, BAVDISio dum poscor, utriq; futurus
Hospes, an ipsius sim priùs, anne tuus?
Hæreo: dilectum quòd te complectar, & ipsum,
Ambobusq; ideò promptus adesse velim.
Ergo convivæ tres aut veniamus in unum,
Aut, hoc si forsan Caurus hyemsq; negat:
Tu mihi cras cœnam solitam, consueta det ille
Prandia. Sic vobis, vel his, abibo satur.

VALENTINO THILONI I.V.D.

Cui docti inseruêre manus & nomina libro,
Tu quoq; non renuas inseruisse, Thilo.

Siq; placet comitatus eum (qui Biblidos) alter,
Sufficiat nummos annumerasse novem.
Conor amicorum mihi conciliare favorem:
Haud conor nimium quærere velle lucrum.

Eidem.

Cùm certes, longè mea vota, novemq; petitos
Angelicis albos bis superare novem.
Qui taceam tam grande lucrum, nec, jure Thilonis
Te dignum placidi nomen habere, loquar?
Cras equidem tanti merces, solummodò talis
Emptor adesto, meas exposuisse velim.

Ejusdem insignibus.

Quas forsan frondes, succiso stipite, truncus
Perdidit, has, uber si modò, sæpè novat.
Nec sylvas semper cantu philomela, sed urbes,
Vnde genus ducit, mulcet, & arte sua.
Cur igitur veteres claram dubitemus obortis
In lucem è tenebris surgere rursus avos?
Si quisquam fortassè suos revocavit ab umbris,
Arte tuos, aio, te revocasse, Thilo.
Inde (quod admiror) tantò tua gloria major,
Caudicis est quantò, vel recinentis avis.

M. Melchiori Laubano P.L.

Hac ex quo primùm pes est mihi fixus in urbe,
Lustra tria atq; anni præteriêre duo.
Sed dicam fixum, quo nil incertiùs, illo
Tempore, quòd celeri tollerer axe foràs?
Vnde minùs cùm tunc limen calcare vel unum
Cuiusquam, tulerit sors odiosa mihi:

Nunc calcare magis conitar, Chrysoris omnes
Quos doctorum, hospes sim modò gratus, habet.
Inprimis, Laubane, tuum. Veniam ergo, videndi
Et compellandi teq; tuosq;, rogo.
Vt, quæ nos inter jam pridem nexa videntur
Dulcis amicitiæ, vincla coire queant.

Senatui Hirsbergensi.

Advenit cursor, pro me cunctante, quòd istuc,
Obstitit ista, nivis plena cadentis, hyems.
Quodq; mihi pugnans, alium fortuna repentè
Prætulit, assuetus ferre, sinistra, fero.
Et grates verbis, facto dum reddere detur
Pleniùs, accepto munere lætus, ago.

Senatui Bolislavien.

Actutum patriæ alta, redux qui nuper Elistro,
Arripui vestro munere tecta meæ.
Gorlicium nunc tendo, typis Epigrammata, messes
Quæ iam ter denas condita, nostra datum.
Ocyùs ista dari, pro codice gratius illo
Mosaico, vestrum nunc quoq; munus erit.

Iohan. Czschernik Reip. Notario.

Absens exemplar qui Biblidos antè tulisti
Exiguum munus, me tribuente, meæ.
Gorlicijs quoq; nostra typis Epigrammata donum
Vt Vir docte, feras edita, fer quid opis.
Quæq; reliquisti nondum, fac Amicus in Albo
Certa meo dextræ signa relinque tuæ.

Iohanni Emerico in Nikerisch, Comiti Palatino.

Vix hinc digressus, nive nil remorante, recurro,
Congressumq; tuum Ian Emerice, peto.
Forsan ais: Cur non nostris succedere tectis
Hospitis optandi protinus hospes, aues?
Ignoscas. Obstare pudor mihi visus: ad unas
Voce procace stipem bis petysse, fores.

Sebastiano Hofman ab Hennersdorf, Viro Nobili & Consulari.

Quidne feram portemve tibi, Vir summe, rogabas,
Gorlicio reducem me speculatus heri?
Pieridas, viles nunc pluribus, omnia mecum,
Hospitium præter, porto feroq;, meas.
Ac quæ ter denos Epigrammata scripta per annos
Iam mihi sunt, vestris lætus adorno typis.
Optârim, sed pace tua veniaq;, frequenter
His etiam, & meritò, nomen inesse tuum.
Debeo jam pridem memoris præconia famæ,
Pro nuper magno munere pacta tibi.
Da tecti pacisq; parum, quo frigora vitem,
Octiduumq; tibi sponte tuisq; dabo.

Abrahamo Schvvalbio Med. D.

En hodiè lectos obiter, Vir docte, remitto
Cum Cotta Dhusam Naugeriumq;, tibi.
Cras succedet eis Calphurnius, atq; Rosetus,
Gratius inprimis, Pieriusq; comes.

Nec

Nec me Gorlicium nunc excurrisse pigebit,
Cùm, spectare nefas quos fuit antè, legam.

M. Martino Mylio.

Quæ, dum vobiscum brumam traho lentus inertem,
Censueras vestris carmina digna typis:
Cruda domum refero, cùm Rhamba typographus absit,
Cumq; juventutis fingere corda, vocer.
Aulæum intereà vestris insternite mensis,
Pontificum Patriæ fortè quod edo, meum.
Quæ tandem fortuna vocat, modò vixero, mensis
Me decimus vobis restituisse potest.

EPIGRAMMATUM
M. ANDREÆ CALAGII
VRATISLAVIENSIS.
LIBER V.

Ad Illust. ac Generos. D. D. Abraham, Burgrauium à Dhona Baron. Lib. D. in VVartenberg & Bralin Equit. Aur. Cæs. Consil. Legatumq;, & Lusatiæ utriusque Præsidem.

Dum Vir abes generose tuis, & publica tractas,
Cæsare te curis impediente suis:
Dum lue (quæ totum fermè grassata per orbem)
VVartenberga tua est civibus hausta suis:

Inter & hos etiam tenera (proh numina) pube,
Quæ patriæ quondam grande futura decus;
Huc ego sum, multos Phœbo comes impiger annos,
Accitus reliquis rector, ab Vrbe mea.
Istud ut ignaro te forsitan, accidit: opto
Sic te, jam gnaro, non renuente cadat.
Pectora da formem rursum puerilia Christo,
Quæ mihi pœna, diu deseruisse, fuit.
Ipse monet retrahitq́; DEVS dantem ocia Musis,
Non inhonesta quidem, sed sine Sortis ope.
Vltima tentaturus eram: jam jamq́; tenebam
Haud dubiam ad magni Cæsaris ora viam.
Cùm, veluti Saulus cœlesti fulmine, motus
Voce magistratus sum, revocare pedem.
Hæreat is constans, & rapta cadavera pensent
Myrmidones, Christo suppeditante, precor.

MATRI Magdalenæ, octogenariæ & trium annorum, mortuæ An. 1601.

Ergo, velut quondam chari mihi claudere Patris
Lumina, sic Matris, sors odiosa negat?
Vix digressus eram, nec quicquam tale timebam,
Cùm longo senio fracta, repente cadit.
Sic (puto) præteritis seclis effœta geluq́;,
Vanuit in tenues illa Sibylla sonos.
Sed felix, quæ (desit ei quod) munere nati,
Finijt ætatis tempora sera suæ.

Hanc subsecutæ, MAGDALENAE filiæ, Anno eodem.

Sum verè, velut antè fui, quem scilicet ortu
Me dixi, atq; obitu, Magdalis, esse tuo.
Quòd mihi te rapta, vitæ sit rapta voluptas
Omnis, inexplicitæ si qua subesse potest.
Sed tabes hæc unde tibi improvisa tenellæ?
Mutatus victus nunquid, & aura, nocent?
Ista nocent tibi sola. Tuis, qui tendimus annos,
Ne noceant, clemens arceat oro, DEVS.
Qui cùm mox aliam pro te mihi spondeat, umbras
Per rigidas Aviæ lætior ito comes.

Iohanni Kiersinski, judici terræ Siradien.

Quæ tibi pro lardi, ptisanæ, Cererisq; teramplis
Muneribus, reddam munera, summe virûm?
Vt cupiam, non ulla queo pensare: quòd arua
Nullus aro, nec hara forte sagino sues.
Pulveris adjicerem cumulos, quos devoro rursus,
Fato ita dante, priùs ni satur inde fores.
Grana sophus penso numeris, & carmine carmen:
Rusticus, ô utinam, rustica dona dabo.

Iacobj Chymarrhæj Com. Pal. Symb.

Omnia cùm virtus domet insuperabilis, ultrò
Quisq; potentis heræ subditus esse velit.
Ejus enim imperium tolerabile spondet amorem,
Indubitatum hominum non minùs atq; Dei.
Ergo age, deformis vitij genus omne facesse:
Virtutis dominæ signa petenda sequor.

In Illust. Burgravij Insignia.

Per clypeum solis Cerui quæ Cornibus antè,
Nunc ornamentis pluribus aucta nitent:
Illa quidem à proauis Insignia nobilis ortus,
Sed magè virtutis sunt documenta tuæ.
Nam quòd inauratis Crucibus, quòd & Ense, Rotaq;
Spectantur, meritum, Vir generose, tuum est.
Tu juga Sionis, tu sancta Sepulcra petisti,
Auratus Solymis tu decoratus Eques.
Tu terras alio mutasti sole calentes,
Tu Moschos iterum, Cæsare missus, adis.
Cassis ut insignis diademaq;, jure superstent
Parmam, virtutis præmia sola, tuam.
Et cubito quæ nuda tenus, quæ cœrula vestem,
Virgo polo certam polliceatur opem.

Eidem.

Quæ mihi jam pridem per te spes facta, videndi
Cæsaris, hæc & adhuc me, Baro magne, fovet.
Nec modò spectandi, quid enim spectare iuuabit?
Et spectasse tamen Cæsaris ora, iuuat.
Verùm etiam facilem, quo nomine gaudet, habendi
Patronum, atq; adeò, te mediante, patrem.
O fortunatum vatem me deniq;, voti
Si, quo fido, tuo munere, compos ero.
O te felicem, toto licet Orbe celebris
Antè, poëmatibus quòd referére meis.
Quando Deus, Cæsar, Dhonius, mihi numina terna
Materies fuerint carminis una mei.

Quòd

EIDEM.

Quòd fundant alij plerunq; poëmata vates
Ebria: quodq; mihi sobria sola fluant.
Scilicet hesterni modicis stimulata Lyæi
Haustibus, & cœna simplice, sermo fuit.
Ergo tuo jussu ne cras, Baro maxime pangam
Frigida, fac hodiè fervida vina bibam.

EIDEM.

Vt saliat benè vena micans, prauoq; remisso
Sanguine, succedat vivus in ossa calor.
Vina bibenda mihi, Medicis suadentibus olim
Iam didici. Venam nunc seco, vina peto.
Vt sanguis redeat neruis, vigor artubus, acri
Spiritus ingenio, vis nova, mensq; celer.
At, delectamur dum Cæsaris ore, facultas
Quottidiè domino dandi Epigramma meo.
Ast Epigramma parùm est. Epigrammata plura, vel
Ferre die, artificis nobiliris opus. (uno,
Præsertim calidos animos addente Lyæo;
Materiamq; rei Cæsare dante novam.

EIDEM.

Dum tua semestri me VVartenberga recepit,
Vix mihi vix pisces ter quater esse, datum est.
Fortè, quòd usurus tum deniq; pluribus essem,
Cùm tua stagna suis excutienda forent?
Vescar ut his hodiè esuriens, te dante; meiq;
Relliquias possint cras habuisse, rogo.

Eidem.

Sum visus, nisi falsus, heri spectare Cometen,
Cùm maris Hesperij sol subiisset aquas.
Cùmq; cucurrissent horas vix sydera binas,
Sydera non nitido conspicienda polo.
Quid nobis, Baro magne, novi portenderit ille,
Quando patet, multum quemq; tulisse mali?
Ardet, inexcitis longùm jam, motibus Orbis,
Ac belli furias angulus omnis habet.
Iustitiæ vindex qui transfert, reddet opinor,
Romano Imperio debita regna, Deus.

EIDEM.

Quem fueram mihi visus heri spectasse Cometam,
His oculis hodiè specto, benigne Baro.
Tu quoq; spectaturus eum, fac pande fenestram,
Vergit ad Eoas quæ modò cunq; plagas.
Spectabis Stellam, Borean medium inter & Eurum,
Vnde, sed obscuro lumine, cauda micat.
Quòd si, quas ponunt plures sine sydere noctes
Astrologi, fuerint, nulla verebor erit.

Eidem, De G. Martino, P. L. C.

Scripta Poëtarum, dignorum nomine tanto,
Penè trecentorum sunt revoluta mihi.
Vt, tradant forsan vitæ communis in usum
Si qua, notarentur nobiliore manu.

Integra præsertim faciens Sententia versum,
Carmine certantum quæ sit in ore frequens.
Nec solùm veteres bonus exhibet ordo: tulerunt
Tempora quos etiam nostra, videre licet.
Quando igitur numero Martinum dignor eorum,
Carmina, quæ pepigit, discutienda peto.

EIDEM.

Iam quondam didici, valere multum,
Asservata Quid? esse sic, probare
Exemplo queo. Nam mihi dedisti
Quos nuper, Baro gloriose, pisces,
Non omnes simul & semel comedi:
Conditos sale condidi coacto.
Hesterna fuit unde vesperarum,
Ne pallens hodiè fame tremiscam,
Missis piscibus est tuum, cavere.

EIDEM.

Næ, cautum minùs aulicum, poëtam,
Qui missis epulis cupit repleri:
Næ, verè dominum benigniorem,
Qui missa dape prævenit petentem.
Da, quæso, veniam, Baro diserte:
Pro missis, pote subdidisse, paucis.
Aut, si fas mihi, voculam tueri,
Admittas, ideò fuisse scriptam,
Captandis quòd adesse te, putarem.

Sed quid plura? Deum mihi loquentem,
Sum (sic me juuet) audysse visus,
Vt vox insonuit: Scias, Calagi,
Intra quatriduum viam incohandam,
Quis faxit, ut inchoetur isthæc
Successu meliore, seruiatq;
Divinis modò laudibus, reiq;
Communi stabilem ferat salutem.

EIDEM.

Cùm nostris jocus haud sit invenustus,
,, Pulpæ conveniat bonus quòd haustus;
Et dono domini fruar cyprino,
Qualem Sardanapalus optet esse,
Ac pisces aliàs ament natare;
Eiusdem quoq; liberalitate,
Quod vinum bibero liquens, habebo.

Eidem.

Vt nostræ cedat, nostrorum, Orbisq; saluti,
Deducente DEO cras quod inimus iter:
Cæsaris ô magnum decus, & lux summa Baronum,
Sicut heri, ab hodiè missa rubella bibam.

M. Martino Mylio. P.L.

Quòd dixi, decimo tecum me mense futurum,
Quis non, me Vatem dixerit esse, Myli?
Quin immò, duplicem. Vates quia, carmina scribens,
Et Vates etiam, quisquis agenda canit.
O utinam, veluti dicto quòd tempore sistor,
Tam non obscurè, ditior esse queam;

Vix

Vix equidem quicquam me fortunatius uno,
(Exitus, opto, probet) duplice Vate foret.
Me fore vaticinor. Sed & omine Praga jubitur
Hoc mihi: Et esse ratum, Cæsaris atq; Dei est.
Si fallor: Non iste mihi, non ille tremendus,
Sed sors, aut remorans optima quæq;, dolor.

Spectaculum inter vias, Pragam versus, fortè oblatum.

Lapsando juvenes insultavêre paludis
Frigore concretis tres petulanter aquis.
Ecce manu alterius dum gyro vertitur, alter
Concidit, & solidas vertice rumpit aquas,
Cui, se non cohibere potens, illabitur alter,
Totaq; cœnoso polluit ora luto.
Tertius intereà pede concrepitante secutus,
Acclamansq; ruit pronus utrunq; super,
Quis nova ranarum non rideat ora natantum?
I nunc, & fragili curre, recurre vado.

EIDEM.

Cùm secessus, amans requiem, cumq; ocia desunt:
Cùm digiti nimio diriguêre gelu:
Non benè succedunt scribenti carmina, Græcum
Vespere quantumvis hauserit ille merum.
Vnde datam retracto fidem, laudabile pango
Quottidiè quòd hero non Epigramma meo.
Vt pangam, generose Barc, fac tempore primo
Quoq;, fruar nutu Cæsaris, atq; DEI.

Et relegam gressu vestigia, gratus alumnis,
Vxori gravidæ, discipulisq; meis.
Non unum, sed mille dabo tunc, nominis uni
Assiduè famæ succubitura tui.

Eidem dimittendus, Pragą.

Iam, cùm supplicibus minùs libellis
Arbitremur opus, nec incitandus
Tu calcaribus, ut patrocineris
Caussæ, quòd faveas meæ vel ultrò:
Cur cuiquam magis obstrepam molestus?
Promisso quia certiore nitor,
Iam voti puto me mei potentem:
Te, certè fuero, domum remisso.
Quò, dum longiùs exitu moraris,
Cras, de consilio tuo, evolabo.

Carolo Hannibali, Burggravio à Dhona, herili Filio.

Quondam etiam magnus peregreq; domiq; futurus,
Iam nunc disce pedum signa paterna sequi.
„Sunt aliquid, sublime genus, bona, splendor, opesq;,
Virtutis studijs hæc sed adaucta, nitent.
Quando igitur pars est ejus, benè scire Latinè,
Quò meliùs discas, hunc tibi dono librum.

Marianna Filiola, 14. Dec. nata, Anno 1601. VVartenbergæ.

Quòd Sobolis multæ, quondam quæ luceat inter
Astra beatorum, me facis esse patrem,

Læto-

Lætor, & ut facias porrò: Sed & illa doceri,
Poßit, aliq; mihi fac precor, alme Deus.
Nec dubito. Qui cuncta fovens, complura dedisti
Antè, dehinc etiam pauca rogande dabis.

De Illustris. D.D. Abrah. à Dhona etc. natali. Ad Solem. 22. Dec. cùm eius perendiè futura esset Eclipsis.

Nube latens huc usq; diu, tenebrisq; secunda
Luce, dolens hominum probra, tegende iubar:
Phœbe, quid incinctum radijs fulgentibus effers,
Cuncta replens hodie luce micante, caput?
Meßiæne nites, mundo qui nascitur infans?
Natalemve refers, qui mihi fautor, Abræ?
Annuis, & jam prendo notas. O sæpiùs anno
Purus utrunq; vehas hunc redeunte diem.
Ac ut ei, patri divûmq; hominumq;, per aras:
Sic tibi Musarum, proximus ibit honor.

EIDEM.

Quæ reducem jam jamq; refert, mortalib. usu
Vt reducem dominum, sic mihi, fama ferat.
Ergo quid occursare moror, nec ob ocia Musis
Parta meis per eum, voce styloq; feror?
Quippe feror, videorq; rapi mihi percitus œstro,
Vt benefacta canam tanta minister Heri.
Nemo profectò patronus eo jam major, & uno
Me nemo (ignoscas Mome) poeta magis.
Munus id est Deus alme tuum, quo quæritur ævum
Non homini, sed honos dignus in omne tibi.

EIDEM.

Quos nuper renuit mihi Phaleucos,
Hos ipsos hodiè favens dat hora,
Vt nomen tuear boni poetæ.
Quanquam fors alio ferire plectro
Chordas debueram, mali poëtæ
Vt veram merear notam vicißim.
Quo res cunq; cadet, vel oscitasse
Culpatus, veniam rogo: vel (opto
Quod) dictus vigilasse, quæso laudem.

Eidem domum redeunti.

Qualis cerva, canum latratibus acta per agros,
Ad gelidas rigui fontis anhelat aquas:
Talis acerborum fatis ego pressus, hiando
Ad reducis Domini gestio stare pedes.
Quæ standi sit caußa, rogas? Fert ille, salutis
Communis præter commoda, priva mihi.
Qualia, fors iterùm scitaris? Talia, nullo
Quæ valui, stans huc usq;, parare modo.
Ocia nimirùm, Divo tribuente RVDOLPHO,
Se modò cantandi versibus, atq; Deum.
Hoc mihi nil potuit contingere munere majus;
Vnde Precatori debeo tanta meo,
Quanta suo quisquam sese debere fatetur.
Vixero, non ipso, Pollio, maior eris.

Eidem.

Pharmacon est, medicis vnguen potabile, membra
Quod luxata locis restituisse potest.

Hoc

Hoc, Phœbo monstrante, meum cocturus in usum,
Purpurei rogito pocula terna meri:
Augmentum si quartus eis accesserit haustus,
Nomine pro dantis, proq; salute bibam.
Et, quod ad extremos, Divo pandente RVDOLPHO,
Arripitur Moschos, non malè cedet, iter.

Hieremiæ Reinvvald. I. C. Sponso 19. Febr.

Notus apud Gallos, Italos, fortesq; Polonos,
Ac magè, quà tollit Slesias Olsna caput.
Vt morum vehemens, ita vitæ ductor, & autor,
Ad Iuris studium qui tibi strauit iter:
Antè fuit frater. Nunc fortè Paterq;, Socerq;,
Quòd privigna thoros appetat Anna tuos.
Affinemq; prius quem nominitare solebat,
Dignetur vinclo iam propiore virum.
Iuris Vdalrico Doctore ea nata, nec omnem
Quæ sponsam deceat maxima, dotis inops.
O Socero felix, ô Socru, affinibus. Opto,
Pura fluant thalamo mella merumq; tuo.

Ad nomen Eliæ Reinvvald, D. I.V.

Sylua viret, mens pura viget. Reinvvalde vireto
Frondibus, atq; Deo dante, vigeto diu.

In Album eius, spectandum manu & Insignibus Ducum, Baronum, Equitum, Virorumq; toto orbe Clariss.

Quot

Quot perlustráris populos, Reinvvalde; quot urbes,
Noscitur ex Albo satq; superq; tuo.
Annis Sarmatiam cultam tibi quinq;, tribusq;
Ausoniam, & Gallum mensibus octo solum.
Germano inprimis Academia si qua celebris
Visitur, ut Philyres messib. illa tribus.
Quæ tandem lætum Thalamus, & Iura professum
Privatim patriæ reddidit alma tuæ.
Nunc ubi tot linguis lites partire, forumq;
(Orpheus alter uti saxa trabesq;, trahis.

Filiolæ pariter & Caniculæ casus diversi, Paschatos die.

Infantes curæ tibi, Christe, fatére, probasq;:
Non, solitos mensæ rodere frusta, canes.
Exitus ista docet. Marianna trimestris, ab orbe
Mensæ lapsa, nihil, quo moveamur, habet.
Parva sed è tigno, dum claustra recusat, & errat,
Cervicem frangit lapsa Catella suam.
„ Nimirum, coram te stans, Infantibus omnem
Præstat, opem Canibus turba ministra negat.

Danieli Milichio Diacono VVartenb.

Ille mihi promissus heri, nunc detur, utriq;
Carpio gustandus, sole petente fretum.

Illustri Andreæ Latalski, Comiti de Labissyn, insidiosè necati Posnaniæ. Anno 1601. Iun. 25.

O miseras hominum sortes: Proh pectora, caussas
Sæpius ob viles, asperiora feris,

Hec tumulo jacet Andreas Comes ille Latalski,
Guttura trajectus rupta minace globo.
Heu, quid juvit eum, nomen virtute tueri,
Debuit hæc quando victa jacere dolo?
Quid robur? quid gesta? genus quid grande? quid æ-
Omnia cùm cedant inferiora nitro? (tas.
Quid pietas? hujus tutela quid, & quid honestas,
Fortius has debet si superare scelus?
Est cœlo Deus, ista videns, qui iudicat ultor:
Est pater, ab ducens funera mœsta senex.
Est fratrum generosa phalanx, est optima coniux:
Est jus, sunt leges, est sua pœna reo.
At tibi, quæ mundo, nimiùm citò, marcuit ætas,
Pullulat æternùm non moritura, polo.

De Symbolico Danielis Bucretij D. Med. Emblemate: Ferendo vinces.

Ad cœlum quæ mite manus & lumina tendens,
Voce Deum querula Fœmina poscit opem:
Fœmina strata super cinctum undiq; fluctibus Orbem,
Atq; gerens dorso, non renuente, crucem:
Instar habet Virtutis. Ea est Patientia, rerum
Quæ confusarum turbine pressa, gemit.
O gravibus vexate malis, fac Vince Ferendo,
Quò precium palmæ, quò diadema feras.

In ICONEM suam.

Lustra decem claudens, geminumq; CALAGIVS annum,
Sic oculos, & sic ora, manusq; tuli.

Festivus

Festivus Puellulæ jocus.

Sponsus inops, tumidusq; tamen, delubra petebat,
Invitatorum plebe sequente virûm.
Filius & juxta puer hunc caput ibat apertus,
Pectora discinctus, nudus utrumq; pedem.
Id spectatorum vulgus cùm turpe putaret,
Rupit inoffensa voce Puella sonos:
Detenti sartor sutorq; labore, parandis
Vestibus huic unum non habuêre diem.

Iohan. Turnovij, Equitis Poloni, Poëtæ docti Insig.

Vt galeam sua crista decet: sua penna volucrem
Vt leuat, & terris tollit ad usq; polum:
Nodus ut Herculeus vix est resolubilis ulli:
Vt florem ante alium lilia verna nitent:
Sic virtus tua, Turnoui, doctrinaq; cœlo
Surgit, & æternæ præmia lucis habet.

Melchioris Eccardi, Superatt. Olsn. Symb. Scio cui credidi.

Quo mea spes, quo firma fides nitatur asylo,
Te valido cœli numine nempe, scio.
Tu fragilis vitæ mihi limen inire dedisti,
Tu salvantis iter mortis adire dabis.

Aues Locutæ.

Sylvestres quondam esse feras hominum ore locutas,
Æsopi Phrygij fabula multa docet.
At nunc & Volucres humana voce loquuntur
Non modò: Litterulas effigiare sciunt.

Anser enim (res mira) loquens audacter, olorq́;,
Implêrunt scriptis Solis utranq; domum.
Nunc igitur cùm tale paret quid Apollinis oscen,
Scribere quis volucres posse, loquiq́;, neget?

Jacobo Reichel, Viro Nobili, in Senatum cooptato. An. 1662. 20. Feb.

Simia, quæ quondam nutrices fugerat ædes,
Condendas sylvis suasit inepta domos.
Vrbem ea designat, numerum cui scilicet auget
Fortè Senatorum simia, sive lepus.
Non talis, tu BRESLA. Viros quæ rebus agendis
Fronte graves patula semper, & arte legis.
Vnde statum, firmante Deo, ô sine fine, quietæ
Pacis & integræ relligionis, habes.

Martino Eichler Illust. Dn. à Dhona Secret.

Quæ scribis, domino monente, legi
Prandens: ac properè resoluo pransus,
Vel mavis reprehensus, ad potentes
Quòd vates ego, scripserim soluta,
Ob causas, tibi frivolas: Ligata
Cùm scripsisse, labor mihi sit unus.
Haud excuso diu, vel hoc, vel illud:
Saltem dico, quod & Terentianus,
Sentires aliter, loco fores si
Tu, Martine, meo. Sed Archivatem
Me quòd dicere, seriò iocove,

Sis ausus, fino vindicare multis,
Quòd multis animi paventis ictum
Horis vix tribus explicare cogar,
Hunc & Hendeca syllabis minutis.
Censuræ dabitur fenestra major.
Quod carmen facio semel, politum
Vt tritum facio, nec inde dignor
Lima iudiciove strictiore.
Præsertim, quod in ora doctiorum
Edi debeat ocyùs virorum.
,, Sermoni quoq; legibus soluto
Est quandoq; suum decus, locusq;.

Eliæ Grömelio Strel. memoriæ ergò.

Vidi ego, stante sub astra fere livore, jacere:
Et vidi invidia stare jacente, pium.

M. Iohan. Paricij Diac. Vrat. Insignia.

Quid notet, ipse rogo, responsaq; reddo roganti,
Per Clypeum, Parici, Fossa Colorq; tuum?
Non, quòd agendorum nôris discrimen? & albus
Aut animo soleas aut niger esse tuo?
Inter id, assurgens quid Frons? Laudem: ima quid? (extant
Cladib. atq; virens asperitate decus.
Quid, sese confessa, Parix, & in ardua nitens?
Nonne sui similem semper, amore boni?
Quid Galea alterno velamine? quidq; Corona
Subdita Bubaleis cornibus, Osq; triplex?
Nonne

Nonne suo tutam munimine, nonne superbam
Virtutem eloquio, robore nonne suo?
Insertum quid ijs duplex bicolorq́; Tropbæum?
Ferrea quid Cuspis flavaq́; parte sui?
Nonne cohærentem fati sortisq́; favorem?
Non pacem, & flauæ munera larga Deæ?
Et Quercus quid Colle super, quid læta Volucris?
Assiduo partum nonne labore statum?
O fortunatum, quem qualia diximus, arma,
Cæsareo & dio munere, mensq́; decet.

Laurentio Ludovico Ligio.
P. L.

Nostra brevis Lodoice petent Epigrammata lucem:
Vt petijsse queant, tu quoq; pande viam.

Eidem in eandem sententiam.

Nostra simul tenebris producta Epigrammata, claram
Vt videant lucem, da Lodoice, facem.
Da quoq; non multis unum perstringat eorum
Arma tua & vitæ Symbola si qua geris.
Debeo jam pridem tantum, promittere docto,
Nec præstare, memor, dedecus esse viro.

In Psalm. aliquot, Mart. Arithmæo, pastori in Binovvitz, translatos.

Si decet ore Deum laudari quolibet, ejus
Tu laudes etiam quo potes, ore canas.

Iohanni Feigio Consulo Rectori Aurimont.

Vt, vel adhuc hodiè, cras hinc abiturus, amoris
Signa mei linquam carmina, Iane, rogas.
Da veniam, promissa dabo: sed Sole sereno:
Turbida, nil dignum suggerit, ista dies.
Vt sum puri animi, sic non nisi & aëre puro
Sudo, per & factas carmina ludo vices.
Cumq; revoluendum astrologus promittat amœnum,
Quo meliora fluent, nulla negabo, diem.
Si vim præsertim vini suppleverit haustus:
„ Potus ubi crassus nil nisi crassa parit.

Iohan. Hattardo Poëtæ.

Qui quondam BRESLÆ celebrem delatus in urbem
Pultasti Vates vatis amice fores.
Alterna vice pande tuas, Hartarde: mihiq;
Ad modicas epulas hospitis, umbra veni.
Fac, tecum doctæ properent Helicone Sorores,
Et Charis, & lepidi, turba proterna, ioci.

M. Martino VVeindrich, Med. Cand.

Sæpè rogas caussam, cur irrevocabilis optem
Vsq; adeò Musis ocia lenta meis.
Et fandi ista precer memores, memoresq; nefandi,
Vnde minùs flauit mollior aura, deos?
Non aliàs sperem unde, patet. Quia numina Vatum
Dum precor Aonidas, numina surda precor.

Divorum

,, Divorum est proprium, precib. succumbere tandem:
Est Cygni proprium, tela timere Iovis.
Et dubites, aliis demptis, ratione vel ista
Ille quòd è Clypeo surgat ad astra meo?
Non quòd amet, pennis tolli sublimis in auras:
Sed quòd aquis gaudens lenibus, alta sinat.

SATVRNINO.

Quòd non in numero recensearis,
Tot nostris numeris celebriorum,
Saturnine, quid est, quòd obstupescis,
Cùm nil, quod numerem, remunereris?
Vt, qui sis, quoq; nomineris illis,
Dignum quid numera, volente dici.

De Cyrsilo.

Nunc quòd in his istud, nunc id desideret illis
Cyrsilus, haud mirum, Quintiliane, puta.
Omnia scrutatus cùm noverit abdita rerum,
Nulla mihi liquit, nulla scienda tibi.

EIDEM.

Degustasse duas, aut tres modò, Cyrsile linguas,
Turpe tibi: laus est, edidicisse novem.
Elicuisse canem nosti fornace latentem:
Percipis aure, velut gramina fundat humus.
Iungere tu vulpes, hircos mulgere, nivesq;
Et pluuiæ guttas tu numerare doces.
Littus aras, cœlo astra locas, pontum ignibus uris,
Ac leporem montis vertice bobus agis.

Idcircò te vulgus amat, miratur, honorat,
Et pro præsenti numine penè colit.
Ranarum rex magnus aue: tibi subjacet omnis
Iure cohors, & te stagna crepaute, silent.

Midæ torquato.

Non opibus tecum, non nobilitate superbus,
Pauperis ingenij carmine certo, Mida.

Francisco Langero I. V. D.

Næ, non vicenis, sed lustris quinq; quibusvis,
Ætatem ætati credo subire novam.
Ante tot, exigua pro charta sæpè, poëtæ
Cùm tot non essent, maxima dona tuli.
Nomine nunc Paganus eo dum quoq; superbit,
Parva, vel (inprimis aurea) nulla fero.
Aut liquidum prorsus loculis, quod suspicor, aurum
Fluxit, & in terræ viscera rursus ijt?
Forsitan est, aliquis culpem vult tempora, iusto
Plus quæ nunc varia clade priora premant!
Est, fateor. Sed ùt illa premant, Orbisq; queratur,
Quæ tamen impendat prodiga luxus habet.
Tu quoq;, testatus liquido, non omne quòd aurum
Exciderit terris, & mihi detur, habes.

Homini prodigo.

Non benè, te tabulis hæredem ex asse notavit,
Divitior Crœso penè Midaq;, pater.
Quandoquidem spacio, valdè quod miror, in alvum
Descendêre brevi mille talenta tuum.

Rectiùs ille, suo qui fors legata reliquit
Multa quidem, verùm dimidiata dedit.
Et, quòd tu sis lurco, scio, cùm prodigus omnes
Attenuâris opes, hoc tibi restet, ait.
Quem dico, dixitq; volens finire dolores,
Quærito, cernaris pendulus unde, locum.
Quæsiit ille, bonis dilapsis ocyùs, & dum
Colla ligat, magnas reste reclusit opes.
Quas stupefactus, & acta gemens, piscator vt ictus,
Non ita, sed tractans parciùs inde, sapit.

Scatebris in Silesia recens ex ortis Salubribus.

Ad Ioannem à Scharffenberg. Med. D.

Elicitas nuper tonitru, quà cernere Nissam est,
Vosne salutares prætereamus aquas?
Absit. At enumerem vires Epigrammate, quantas
Exerit immenso nullus in Orbe liquor?
Quippe, ferè cunctos, istis concedere morbos,
Gallorum præter, conscia fama canit.
Si nobis meliora dabunt hinc fata recursum,
Nostraq; clarescent lumina fontis ope:
Quod nomen vobis vix inclarescere cepit,
Ad cœlum, memori carmine, quæret iter.

Consilium Obstipo datum.

Qui sapiens nimiùm, quidvis operére, videris
Tu tibi, si credis, stultus habére tuis.
Scitaris caussam? Procul extat acutius æquo,
Instar quod coni posiit habere, caput.

Id vitij,stolidum Physici signare notarunt:
Quo tamen emendes, hunc tibi dico modum.
More fac infantis charæ involuare parenti,
Nutricis gracili fac moveare sono.
Et cranium,astrictum quadra,coalescet, inersq;,
Quam justam formam debet,habebit apex.
Istud anu,memorem longi quam temporis usus
Certior erudijt, subyciente loquor.

Vis naturæ, Ad Abrahamum Sandek Med. D.

Ille catis infensus, Hylax,& alacrior omni,
Quem magno numero dives alebat herus.
Quiq; uagabundos noctuq; diuq;, petebat
Morsibus atq; truci murmure, nempe domi.
Ecce cati subita rabie confunditur hospes
Hospitis,& caudam ventre tremente tegit.
Sed tamen indignas,resono testatur hiatu
Manè profecturus,sustinuisse minas.
,, Sic natura, licet furcis expulsa, recurrit,
Et deserta suus mentis in ossa vigor.

Ratio ditescendi facilima.

Ire, rogas crebrò, partes conversus in omnes,
Dives opum fieri qua ratione queas?
Ostendam,non ipse quidem (qui negligo gazas)
Expertus,sed uti mobile vulgus ait.
Veris in adventu,cuculus quando obstrepit hortis,
Tinnitu loculos excute sæpè tuos.

Totq;

Totq; dalerorum versu lucraberis anno,
Quot liquidi numeros experiere soni.
Si sed eos paucos, animove notaris omisso,
Non alius locuples, sed prior Irus eris.

M. Petri Fischeri Suidnic. Symb.

Numinis immemorem, dubijs occumbere vidi:
Et vidi memorem numinis, esse super.

Iohanni Kiersinski, & Benedicto Kochlouski, præcipuis per Poloniam Viris.

Ni magnas, Vos testor, amem studiosiùs urbes,
Et mea Germanis utiliora putem:
Excipiam, vel utraq; manu, quod tenditis ultrò:
Sed quæ me, stupidus nescio, fata trahant.
Talem ô Discipulum mihi de tot millibus unum
Patria proferret, cernerer ire polo.

Ad Poëtas pro Zubero.

Zubero, oblinitis quem vos ita versibus atris,
Quæ ratio vitæ, nescio, scripta lego.

Furtum versipelle.

Fors alimenta suis coca fida cucurrerat emptum,
Et famulæ dederat cuncta ferenda domum.
Cui quædam versuta, labas sub pondere, dixit:
Illius da te parte minore levem.
Arripiensq; latus vituli, vestigia promptæ
Illa putaretur cùm titubata sequi:

Proripuit sese celeri pede, compita fortè
Qua licet in plures secta videre vias.
Altera dilapsam frustrà conquesta, domumq;
Lata, minus didicit credere deinde minùs.

In Daniel. Rindfleisch Med. D. gratiam.

Quicquid es, haud fueris longùm. Cupis esse? facesto
Integer. Integritas effugit una rogos.

Luxatum facilè corrigendum.

Ætati seræ siquidem venit usus ab annis,
Omnia non planè, quæ fugiamus, habet.
Hæc nati infantis Solaris luce, trahendos
Articulos omnes fortiùs esse, monet.
Is, quicquid forsan rerum contingat adultus,
Luxatum inprimis, restituisse queat.
Eja superstitio, soboles cui plurima prodit,
Observante potest te, meruisse fidem.

Eliæ Regio, Vrat.

Vt vera gradiare via, & servere; subindè,
Quid facias, credas, quidq; loquare, vide.

Matthæo Reichvvitio, Reichenbach.

Legibus incassum, quem mens malè conscia damnat,
Solvitur; ut, fama quod prior ista, putem.
Quandoquidem falli illa potest quandoque, sinistris
Moribus & varijs artibus, ista nequit.

ACADE-

Academiæ Francofurtensi.

Tu nisi laudendam felici fine dedisses
Biblida Pieridum gloria magna, meam.
Interrupta suos cursus, fatis esca molestis
Muribus & blattis fortè jaceret adhuc,
Vnde tibi, quibus illa placet (confido placere
Non paucis) debent plurima, pauca mihi.
Me tardum quoq;, turpe foret. Laceram artubus ergo
Quam prius, integram nunc tibi munus habe.

Filio Andreæ, Petro VVielovvieski, & Barthol. Adolph. Francofurtum ductis.

Dædalus educens natumq;, duosq; volandi
Ignaros nimium, duco patente via.
Vtq; volent, qua parte volo, moneo: ales inertes
Sicut, iter liquidum radere docta, docet.
Ne celsa regione viæ, pressaue vagati,
Icariæ eripiant nomina forsan aquæ.
,, Disce, Iuventa, modum rerum ætatisq;, nec unquam
Te poterit facti pœnituisse tui.

Valentini Ludovici Lygij, N.P. Symb.

Iesus meus Iehova.

Mille Redemptores, qui vult, sibi jactet: in uno
Salvatore meo spes mihi fixa mea est.

Crimen læsæ Majestatis.

Si scelus est, terris majestas læsa, profectò
Maior ea summa Cæsaris, esse nequit:

Maius

Majus erit facinus, mundum qui fusus in omnem,
Inq; creaturas, heu violata, DEI.

Finis Laboris.

Et labor & discrimen eò convertitur, unde
Certior alternis fructus honosq; venit.

CAROLI MAGNI Sententia.

Cui temerat fortuna fidem, mutata vicissim,
Actaq; cui cedunt omnia lapsa retrò:
Perferat obdurans, dum Sole Notoq; recedat
Pulsa, fatigatum quæ subigebat, hyems.
Namq; labore suo teritur. Quem deniq;, sorte
In meliùs versa, debitus ornat honos.

AMICORVM INCONstantia.

Vere redit veluti decorante coloribus hortos,
Pulsa sed instanti cedit hirundo gelu.
Sic quoq; detergente Noto vaga nubila, præstò est
Vulgus amicorum, nube tonante, fugit.

Christophori Pelargi, Theol. D. & Superatten. Marchiæ Symbolum.

Christum mente geram, Crucis extrema omnia quæ- (ram,
Hostes calce teram, læta trophæa feram.

M. Da-

M. DAVIDI ORIGANO, Mathem. P.P.

Conandum cuivis, ut ne quid dicat, agatve,
Quod valida caussæ non tueatur ope.
Quæ licet assiduè non redditur omnibus, acrem
Omnibus ad trutinam penditur illa tamen.

M. ANDREAE SCHILLING P. L. & N. P.

De danda, à quocunq; tuis Schillinge capillis
Fronde, locum votis jure fuisse meis:
Lætor ovans, gratorq; tibi, moneoq;, Poëta
Illud adorandum nomen amare velis.
At veri, non esse satis, dici, esse sed arte,
Quam sua naturæ semina forte iuvent.
Quæ duo ni certent inter se præpete cursu,
Hæsito, quo dici jure poëta queat.

Achilli Hering Reichenbach.

Officio penitus gaudet fungi omne, quod usquam est,
Atq; sua nil non in statione manet.
A veri agnitione DEI constante suiq;,
Semper & officio devius, unus homo est.

Iohan. Gebaur Reichenb. Symb. Feror, & Fero.

Nil gravius, quàm ferre. Ferens quicunq; fereris,
Et claudes cunctas ad fera bella vias.

Casparo à Mezerad in Dobrschitz. Lusatiæ Sup. Præfecto, &c.

Cum

Cùm non carmen ames tantùm, sed & ipse refingas;
Nec male, quòd nostro forte legare, feres.
Si te caussa fugit, me non fugit, illa volentem
Præcipue, quæ sunt nomina digna, legi.

Iohan. Othoni Schencken, Lib. Bar, in Landsberg.

Cùm tibi cognato juncti de sanguine, nostris
Addita carminibus nomina forte legant.
Quò minùs accedas, quid obest? Lature quod illi,
Carminis officium, carmine digne Baro.

In SEPVLCRI Dominici Simulacra.

Mite Redemptoris Christi visure sepulcrum,
Non est ut Solymam, quæ recidiua, petas.
Bina repræsentat tibi Slesia, proxima vero;
Gorliciana vetus jugera, Sagna novum.
Id fieri Emericus nativi se it ad instar,
Ejus & hoc Abbaus instar habere facit.
Plura videre alibi cum fas sit, sana Vetustas
Aut verum volet, aut omnia nulla volet.
Vana superstitio miserum nisi fascinet Orbem,
Non hic, non illic tres loquerére Magos.
Vnde sequi, solers infert Dialecticus: ibit
Humanum è tumuli puluere quando genus:
Vt statuenda triceps incorruptum ante tribunal,
Ista beatorum pars sit, & illa tripes.
Heu, Divûm porrò si crevissetis honores,
Quo bona relligio (quæso) redacta foret?

Sed

Sed quid miror? An ignoro, sub tempora summa,
Aut nullam aut modicam scilicet, Orbe fidem.

Henrico Pridman Sagan.
9. Iun.

Te, Pridmanne, Lubens complector amicus, amicum
Clara Viatori quem mihi Sagna dedit.

PLAVTINVM.

Vt nihil absq; viro mulier creat; utile vitæ
Sic etiam nil spes, absq; labore, parit.

Regnum Illustris: Principi ac Dn. Dn. CHRISTIANO, Marchioni Brandeb. &c. oblatum fortuitò, in solenni Sclopetariorum certamine.

Omen casus habet. Regnum tibi, Marchio, casu
Impositum felix omen habere negem?
CROSNIA bombardis certans de more, juventus,
Lusibus accierat sub sua sella Ducem.
Cui glans, ante alios omnes explosa potente
Sola Scopi clavo vulnera sorte tulit.
Nomine gavisus, regni concessit honorem
Præfecto, & cœnam civibus ipse dedit.
Quis non à dextro directum numine jactum,
Munificiq; dapes Principis esse, putet?

NEMO DEVM CONTRA.
Christoph. Heid.

Stante Deo, pro me, contrà nihil egerit hostis:
Pro me quis steterit fortior, hoste DEO?

Voluptas

Voluptatem vicisse, voluptas maxima:
Henrici Sculteti Sil. Symbol.

Illa, sui cupidos trahit insidiosa Voluptas
Quæ, quocunq; modo semper inescet, habet.
Sed Virtus, gravis hostis, eam sudore sub actam,
Sola voluptati judicat esse sibi.

Status vitæ felix.

Hæc vita est terris fortunatissima, morum
Gratia cùm generi jungitur, arsq; bonis.

Nobili Viro Iohan. à Gabelentz in Fridersdorff.

Oedipodionidæ sortem quæ Tydea junxit,
Illa eadem jungit me quoq; caussa tibi.
„ Quàm benè, defesso tectum præbetur amicum:
„ Quamq; peregrinans fert benè, digna pati.
Sed Latona pedes, nec equis sublimibus utens,
Multa, viatori vix toleranda, tulit,
Dum grave vindictæ justus dolor instar haberet,
Ac sua, ludibrio debita, pœna foret.
„ Quolibet hospitio faciens iter, indiget: Hospes
Cuilibet, ut lasso, non sua tecta neget.

Iohan. Otth. Schencken, Baroni.

Si credis, Baro magne, meo quod scribis in Albo,
Virtutis solas esse potentis opes:
Ne, quod te sperem, nil non illius amore
Ausurum, tulerit dummodò tempus, erit.

Georgio Carolidæ, P.C.L.

Tam latè tua Praga patet, tua Cæsaris arce
Distat, ut in hora vix adeunda, domus.

Virtus non invida.

Virtuti alterius temerè non invidet ullus,
Fidere jure sua qui modò cunq; potest.

De Elizabetha Ioanna VVestonia, Virgine Angla. Ad Poëtas.

Usus quod tulit antè masculinum,
Hoc nunc fert simul esse fœmininum,
Nomen, quo trahimur boni, Poëtæ.
Hæretis? Maribus vel anteponi,
Quæ jam carmine nobili meretur,
Hoc VVestonia sat superq; præstat,
Pridem digna, comas Apollinari
Cingi fronde. Quid arbitrer, futurum
Non sit, si vir ei poëta detur,
An non agmine masculos poëtas
Magno sit paritura, fœminasq;?

Eidem poëtriæ suauiss.

Perlectos, Virgo, versus ego pendo legendis
Versibus, ignarus nominis antè tui.
Quo lecto auditoq;, novam consurgere Sappho,
Obstupui, aut aliam, Fulvia si qua fuit.
Dotibus ingenij si sic perrexeris uti,
Clarior ambarum carmine, testor, eris.

Vita theatro similis.

Quis vitam nolit similem dixisse theatro,
Summum ubi turba tenet pessima sæpè locum.

AMICO.

Sexcentis Epigrammatibus sexcenta lucratum
Dona, locupletem me fore, Caspar ais.
Nomina præsertim si mutem mortua vivis,
Quòd nunc illa nihil retribuisse queant.
Nolo ita ditari, pauper licet. Antè benigna
Nolo sepultorum jure carere suo.
Tu telam potius gratorum ordire, duobus
Hungaricis redimens hoc Epigramma meum.
Exemploq; tuo major pars larga, poëtæ
Vrbe sub ut patria rus queat esse, dabit.

EPIGRAMMATVM
M. ANDREÆ CALAGII VRATISLAVIENSIS.
LIBER VI.

DIVO RVDOLPHO II. ROM. IMP. OPT. MAX.
Hungariæ Bohemiæ, &c. Regi.

Iure mihi, CÆSAR, primis dicende libellis
Quæso, quòd extremo fortè legare, faue.
Non curæ, neq; sortis hic est, sed temporis ordo,
Curriculum liceat cernier unde meum.
Adde, quòd in precio quæ forsan habentur, honoris
Postremum soleant sæpè tenere locum.
Fert DEVS ipse, coli quocunq;. Nec hostis, in hostem
Progrediens, acie strenua quæq; locat.

Tuq;

Tuq́; gubernandi curis obstantibus Orbis,
Cùm nequeas nugis sæpè vacare meis:
Et tamen has oculo digneris amante, manuq́;,
Fiat, ut illa minus, scilicet ista legas.
Vtq́; dehinc sint digna legi, mereamur utrinq́;:
Quippe facultatem præstat utriq́; DEVS.
Da, quæ Virgilio dedit ocia Pollio, vati,
Tum mihi principium, tum mihi finis eris.

ALIVD.

Qui tibi, CÆSAR, equos, vestes, aut æra, vel aurum,
Munera, summota de regione vehunt:
Sive aliud quid tale, queas quod largiùs ipsis
Tu dare: Magna quidem, sed peritura, ferunt.
At bona donamus longè majora, Poëtæ,
Quæ non mors, quæ non ulla teredo vorat.
Tu mihi, si mereor, modicos da CÆSAR honores,
Panesq́;, AVGVSTO quos Maro dante tulit.
Contrà ego victuram dedero tibi præmia famam,
Qua multus, spernens carmina, CÆSAR eget.
Haud mihi sculpo novum, propriumve, vagumve li-
Ceu quis de media plebe poëta, stylum. (center.
Sed cum Lucano, Flacco, Nasone, Tibullo,
Vatibus egregijs, Virgilioq́;, loquor.
Et (detur modò sera quies) satis arma referre
Factaq́;, clementi Pallade, tendo chelyn.
Illam tendo chelyn, quondam tua mœnia BRESLÆ
Invecto, occinuit quæ quoq́; læta tibi.
Laus tibi grandis erit, submissum ornasse Poëtam:
Laus mihi, munificum te celebrasse Ducem.

ALIVD.

Iam quondam, ob donanda mihi quæ munera supplex,
Bis tibi dilectus, Dive RVDOLPHE, vocor.
O felix, quem CÆSAR amas. Amer opto, beandus
Vt quoq; Cæsareus jure, Poëta vocer.
Nec solùm vocer: Esse queam ut simul, oro benignam
Adde facultatis, maxime CÆSAR, opem.
Esuriens Maro, serpit humi, nec grandia curat:
Sed satur AVGVSTI panibus, arma canit.
Fors erit, esurienti etiam mihi lapsa favoris
E dape, contingat si modò mica tui:
Vt, quam vim dedit æqua, juuet natura, canendi
Suscipis in Turcas quæ duce bella DEO.

ALIVD.

Damnatas exosus opes iuuenilibus annis,
Virtutis studio; dicor egere senex.
Sed memet ne vocâro senem, nil tempora canus,
Lustra decem vitæ sint licet acta meæ.
Vt modico contentus, agam porrò; atq; canendo,
Quod reliquum Lachesis neverit, omne teram:
Mille patronorum sonui auribus antè. Sed aures
Mille patronorum non habuêre suas.
Tu modò, post cunctos in vota vocate, secundum
Opto tuas habeas Dive RVDOLPHE, Deum.
Et sat erit. Vitæ ille mihi quod flagitat usus,
Hactenus immuni, per duo lustra dedit.
Adde datis tu pauca, dehinc adde annua dandis:
Isq; poli, terræ tu mihi numen eris.

Perq; vices, nunc facta DEI, nunc CÆSARIS acta,
Tam nascente die quàm moriente, canam.

ALIUD.

Pro versu tereti, regale numisma Philippum,
Pro pravo colaphum, Choerilus ille tulit.
Redde per alternas, patior (vel Apolline facti
Iudice) quem mereor, CÆSAR, utrunq; vices.
Certiùs enitar, quò dona operosior auri
Crebra manu, plagæ rara sed ore feram.

ALIUD.

Magnus Aristoteli pro naturalibus unis
Rebus Alexander multa talenta dedit.
Munera, muneribus certans, dedit ille Severus
Aurea, pro Vatis carmine quoq; sui.
Non lucri sitis illa mihi. Mihi panis inemptus,
Sobrietas, Helicon, cantus, & umbra placet.
Metrorum precor, ô CÆSAR, pro mille, vel unam,
Cuncta tributurus, qua tegar, adde casam.

ALIUD.

Reddidit Augustus carmen pro carmine Cæsar,
Non quòd avarus homo, sed quia Divus erat.
„ Est hominis, surdas præbere precantibus aures:
„ Est, dare speratis uberiora, Dei.
Mortali tu majus habes quid, CÆSAR, ut almi
Non nisi more Dei, sæpè rogata feras.
Ergo Deo veluti non est maledicere tutum:
Sic, quicunq; tuam vult quoq;, speret opem.

Spero tuam bone CÆSAR opem quia sæpè rogavi:
Tu, cœlo DEVS est quod mihi, CÆSAR humo es.

ALIVD.

Quòd nunc bella geras immensis sumptibus, absit,
Vt minimam renuas, maxime CÆSAR, opem.
Non adeò vires fractæ septennibus illis:
Sint quantæ, sensit, sentit & hostis adhuc.
Cùm tot alas acies, aulæ tot & ora, poëtam,
Exiguo lætum, non aluisse velis?
Bella licet tu plura geras, maioraq; Magno:
Exciderint æuo, Vate tacente, tamen.
At solvente sonis illo gravioribus ora,
Venturis populis suspicienda manent.

ALIVD.

Plurima pars vatum, quibus est data Laurea Phœbi,
Iure suo dici Cæsariana cupit.
Quæ ratio? Rarò ipse creas, Auguste: Creandi
Fortè facultatem non Comes unus, habet.
Nunquid, ut obstricti te, non temnenda secundum
Numina, quo possunt carmine cunq;, canant?
Astrictum me, jure. Queam sed ut esse poeta,
Nec dicar solùm Cæsarianus, age.

ALIVD.

Quis dare posse putet, quæ non habet ipse? Molesti
Præcipuè, quem me, carmine req;, voco.
Ocia das CÆSAR mihi maxime maxima, tute
Quæ non ulla, Soli pondere pressus, habes.

Longi

Longus habe, precor illa, Polo tibi facta, tot annos;
Et tua jura colens, Orbis adoret apex.
Me saltem, te dante, loco quocunque, latentem,
Ac solito lætum carmine, Musa juvet.

ALIVD.

Quando sequens, præsensque (scio quòd legerit) ætas,
Scripta, RVDOLPHE, tuis laudibus ista, leget.
Meque minùs voti fato leget esse potentem,
Infelix, dicet, Choerilus iste fuit.
Chœrilus is nolim esse, tulit qui verbera, dona;
Aurea qui referat, Chœrilus esse velim.
Quæ mereor tamen, illa feram, vel judice Pane,
Neutra tulisse, mihi secula turpe ferent.

ALIVD.

Exterrere meas, quis nescio, dicitur aures,
Me frustrà, CÆSAR, sollicitare tuas.
Non, quòd habere odio soleas hanc carminis artem,
Cùm te nemo magis nobile carmen amet.
Sed, quòd obesse mihi, sumptus belli, atque petentes
Munus idem mecum, relligioque, queant.
Frivola cuncta reor. Quòd, qui gerit ardua, quovis
Sumptu etiam, promptum, cui celebretur, habet.
Quòd, quàm muscarum, plus vatum cernere passim,
Non nego. Sed de tot, quis tua bella canit?
Relligio demum cur obstet? An horreo, dictum
Nomine de Christi nomen habere mei?
Si tibi, qui mecum sentit, non debet amari,
Pars obstrictorum maxima, pauper erit.

ALIVD.

Ore tibi quônam usque strepens oggannio, CÆSAR
Maxime? quid mundo lumina danda, moror?
Ignoscas, jam pono modum, jam colligo mentem,
Iam deprendo, meas pondus habere preces.
Iam cœlo ire, mihi videor, jam percitus œstro,
Austriacæ ferri longa per acta domus.
O fortunatum me terque quaterque Poëtam:
O te clementem, Dive RVDOLPHE, Ducem.

ALIVD.

Nuper Aristophanes quidam, cognomine Censor,
Cogebat versus erubuisse meos.
Quòd tibi declinent Pronomina crebra loquentes,
Nec majestatis nomina magna sonent.
CÆSAR, id est si fortè nefas, nec more fit illo,
Quo compellârunt Naso Maroque Duces:
Deînde precaturus, fugiam Pronominis usum,
Atque figurabo qualibet artis ope.
Sed, quod Aristophanes iterum reprehendat, habebit.
Esto. Volubilior, si reprehendet, ero.

Illustri & Magnif. Dn. Iohan. Barvvicio S. Cæs. Maj. à Consilijs Secretiorib.

Clementem Musis, quam Cæsaris antè rogaui,
Obtinui per te, non reprehensus, opem.
Nunc magè tranquillæ dum capto viatica vitæ,
Certus ut obtineam, Vir memorande, tuum est.
Ante alios etenim tibi CÆSARIS ora tueri,
Et mundi curas exonerare licet.

Ergo priùs, censor facilis, mea si qua probasti
Carmina, nunc sacris auribus ista proba.
Sic tibi perpetuas debebunt dedita grates,
Teq; fatebuntur littus egena suum.
Ipse etiam, dominum quem nunc ego sector, amore
Dhonius ardebit te propiore Baro.

Illustri & Magnif. Dn. Iohan. Christophoro ab Hornstein in Gröningen. S.C.M. à Consiliis Secretis.

Palladis emeritus rogito stipendia miles,
Danda senectuti, si qua futura, meæ.
Vt nihil immensiq; Dei, Diviq; RVDOLPHI,
Austriacæq; domus sit mihi laude prius.
Ast Aulæ tardant numerosa negocia votum,
Dhona Baro stimulet quamlibet ipse, meum.
Barvviciusq; licet caussam tueatur, & orans
Carmen ad invicti Cæsaris ora ferat.
Res fuerit meliore loco, solùm usa favore,
Vsa patrocinio, Vir celebrande, tuo.
Et dubitas, digno te profore fortè Poëtæ?
Crede mihi, meriti debitor hujus ero.

Magnifico Viro Matthæo VVacker à VVackenfels. Consiliario Imperiali, &c.

Vt nomen, Vir magne, tuum, proferre sub auras
Quæ paro, carminibus possit inesse meis.
Fac potiar voto, quo supplice CÆSARIS aurem
Vello, rogans Musis ocia danda meis.

Optavi pridem ausus ei sacrare, docenda
Pube procul, senium forte, Deoq; meum:
Sors renuit, ter Praga mihi licet antè petita.
Candidius reliquis sit precor istud iter.

Illustri Dn. Barvvicio, &c.

O vox non hominis, sed illa Divi,
Divi CÆSARIS illa quippe, per te
Barwici, mihi dicta: Consequéris,
Quod poscis, dubites cave, Calagi.
Non ullus dubito, licet remotus:
Quin immò magè spero; quòd RVDOLPHI
Promissum scio verius Sibyllæ
Cumææ folijs, fideq; Phœbi.
Ac jam jam caleo moventis œstro,
Laudes CÆSAREAS, tuasq;, ferre
Quantis viribus id datur, per Orbem.
Si coràm faciam, jubes, receptis
Istuc protinus advolabo pennis.

Illustri Dn. ab Hornstein.

Admirans animi tui per Aulam
Summorum decus optimum virorum,
Candorem, nec inhospitum favorem,
Quo doctos venerаris, ipse doctus,
Cur voti timeam mei repulsam?
Certè vix potior mihi RVDOLPHI
Ad sacras ierit patronus aures.
Huic ergo meritas referre grates,
Quid cesso? Referam, ferente vitam
Qui scit ferre, Deo, viamq; dante:

Tu

Tu caußam modò simplicem tuere,
Et me polliciti pura tenacem.

Magnif. Dn. Nicolao à Burghaus. &c.

Istuc Magnificum meum secutus,
Velocemq; ferens pedem retrorsum,
Te sydus didici potentis Aulæ.
Ah quanto gemitu. Me enim quid unus
Tu patrocinio tuo lævasses,
Heu serò sapiens putare cepi.
Vt CÆSAR studijs meis quietem,
Et sumptus daret annuos rogâram.
Nunc absens etiam rogare persto,
Et perstabo rogare, mox reversus.
Vt non vana rogem, tuum est cavere.
Quid? quòd consilium dedisse tale
Te quondam, memini. Fac ergo, rebus
Lapsis auxilium benignus addas:
Et sic addideris mihi, canendi
Te versu memori tuosq;, calcar.

LECTORI.

Quòd Liber iste suos numeros non impleat omnes,
Fit, quòd eum saltem CÆSARIS esse velim.
Implebit verò, quando, ceu fido, meorum
Votorum, ipsius munere, compos ero.
Iam certè, ut reliquos cum pluribus impleat, alto
Vrgentem videor pectore ferre Deum.

Persona


D anie


Ioachim

Marti

FINIS.







Calagii

Pieridos.

1600.